



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas

Reding, Augustin

[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.

Disquisitio VI. Quænam in via Facti circa appellationes ad Romanum Pontificem exhiberi queant solidæ probationis argumanta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38717

S. V.

assistentiâ muniti infallibilitatem agnoscentibus Theologis comprobari debeat; nefasque adeo sit, illud seu à fide ac Religione alienum reprobare, quamvis actualem sui in exercitio obligationem intrâ Galliam ex defectu v. g. promulgationis, non obtinisset.

Ex quo proinde honestatis, & quoad specificationem in fide ac religione radicatum, necessitatis moralis fonte pro decimo indubie scaturiebant varij, quos Ellicius pergit enumerare, præfenti instituto convenientes, publicos etiam actus: quantumvis adversus illos postmodum reclamasset Clerus Gallicanus. Haud leve scilicet, (ait idem Parisiensis Theologus) fuisse libertati Gallicanæ Ecclesiæ infictum vulnus temporibus Cardinalis Richelii, cum is Breve quoddam Apostolicum obtinuit ab Urbano VIII. à quo quatuor Episcopi Gallicani sunt delegati, quorum operâ Episcopos quosdam ex Aquitania & Aremoricâ majestatis reos de juri procuravit. Et licet super hoc actu Cleri Gallicani conventus fuerit protestatus, hæc tamen protestatio non in tantum prævaluit, quin Episcopi Gallicani in causâ Janenij postmodum à Sede Apostolicâ judicium poposcerint, hæc præfati: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solentis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro suo iure postulat, æquissima huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati sue scribendum esse, censuimus.*

Tametsi autem pro undecimo Antistites Gallicani factum hoc suum posthac anno 1660. excusâ int, eò quòd tunc temporis Synodus, aut conventus Generalis Cleri Gallicani haberi non potuisset, & idcirco necesse fuisset, ad ejusmodi remedium recurrere. Nihilominus postmodum in causâ quatuor Episcoporum, qui accusabantur ut minus obsequentes constitutioni Innocentij X. & Alexandri VII. circa quinque Janenij propositiones emisse; ipsemet Christianissimus Rex, teste Ellicio, petijt à Pontifice Alexandro VII. ut duodecim Episcopos in Gallia nominaret, qui de quatuor illis Episcopis, omni appellatione remotâ, judicarent. Unde clarum deducitur argumentum, Episcoporum judicium, cum potestate delegandi, fuisse in Papâ recognitum ab ipsomet Galliarum Rege. Nec obitare potest, quòd idem Christianissimus Rex indignè tulerit responsonem à Romanis factam, mentem Pontificis fuisse, ut unus tantum nominaretur Episcopus, velut Executor judicij Romæ lati, in gratiam tamen Regis Christianissimi tres ab eo fore nominandos, qui ut meri Executores agerent. Sic sic adeò quorundam, vel etiam plurium de Clero Gallicano, adversus Sedem Apostolicâ erga ejusdem Regni Episcopos primæ etiam instantiæ judicium præfensa reclamatio, non fuerat tantæ efficiaciæ, quin dictæ Apostolicæ Cathedræ judiciaria in causis Ecclesiasticis supereminens, semper prævaleret auctoritas: divinorum nempe Oraculorum mox adducendorum veritate semper ac ubique prædominante.

Ex sacris Litteris ostenditur Romani Pontificis in quibuscunque causis Ecclesiasticis seu quoad primam etiam instantiam, cum Episcopis & Metropolitis, sive Patriarchis, Concilijs, tum Provinciæ, tum Diocæses cumulativa; seu in via Appellationum præcipuè, supereminens judiciaria auctoritas.

Quis namque ausit negare, hæc Matth. 16. ad Petrum, ejusque successores prolata Christi Domini, verba: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis;* non in foro duntaxat interno Conscientiæ, sed in externo etiam judicij Ecclesiastici foro habere locum? At nihil in quibuscunque Ecclesiastici judicij foris, seu pro primâ instantiâ, seu pro cujuscunque ad superius Tribunal provocationis, & appellationis recursum est intelligibile, quin contineatur sub illo, Regni cælorum, seu Ecclesiæ clavibus subiecto Quocunque. Pro nulla igitur five primæ instantiæ, five quoruncunque ulteriorum recursum, atque appellationum statum, est quippiam in causis Ecclesiasticis excogitabile, quod non subijciatur Cathedræ Apostolicæ iactio-sancto foro judiciario.

DISQUISITIO VI.

Quenam in via Facti circa appellationes ad Romanum Pontificem exhiberi queant solide probationis argumenta.

Quatuor paragraphis hoc argumentorum genus expedit Ellicius. In primo referuntur ac examinantur judicicia, quæ Synodum Nicenam præcesserunt. In secundo discutiuntur exempla appellationum in Iudicijs quarto sæculo latitis. Tertio expediuntur exempla causarum Africanarum quinto & sexto sæculo ad Sedem Apostolicam delatarum & judicatarum. In quarto denique nonnulla judiciorum Ecclesiasticorum, in Occidente præsertim, peractorum exempla perstringuntur. Quibus tandem subjungetur discussio Epilogi ab Ellicio impræsentiarum factæ.

S. I.

Examiantur Episcoporum Iudicia ad Sedem Apostolicam devoluta, Synodum Nicenam antecedentia.

IN notis ad Concilium Sardicense tom. 3. Concil. edit. Parisiens. col. 71. relatis litt. l. habetur, Jure Divino non tantum permiffum, ut Episcopi injuriam passi, ad Summum Ecclesiæ, & Romani Pontificis Tribunal provocarent; verum & frequenter ante hæc (Concilij Sardicensis) tempora de facto observatum fuisse, ut tam Presbyterorum, quam Episcoporum

porum appellationes ad Apostolicam Sedem admitterentur; adeo, ut verissimum sit, quod scribit Leo *Epist. 89. ad Episcopos Gallie*, hanc esse antiquissimam Ecclesie consuetudinem. Ad Pium I. Marcion, ad Cornelium Fortunatus & Felicissimus in Africa: ad Stephanum Pontificem Basilides in Hispania depositus appellarunt. Unde manifestum est, quod Patres Concilij Sardicenis de jure, & appellandi potestate nihil noviter concesserint, sed tantum declararint usum & exercitium hujus potestatis, de quo dubitabatur, *num Ecclesie universali omnino expediret*, partim, ne si omnino appellationes sine discrimine causae admitterentur, nullus litigandi finis esset: partim, ne si omnis appellandi potestas adimeretur, inferiores Judices Episcopi tunc tyrannidis occasionem adipiscerentur.

2. Adversus hunc igitur appellationum in antiqua Ecclesia usum insurgens Elliesius *presb. §. 1. excipit primò*. Perperam induci Marcionis ad Ecclesiam Romanam appellantis exemplum, cum ipse à patre suo damnatus, non petierit causam suam Romae retractari, sed tantum deprecatus sit, ut in communionem reciperetur: nec porro Ecclesia Romana sibi tunc arrogarit jus rescindendi judicij, aut causae retractandae, sed à Senioribus Romanis, teste Epiphano, retulerit responsum contra ipsius Patrem Episcopum, utpote cuius una secum esset fides, & consensus animorum, se non posse quidquam moliri. Unde infert is Parisiensis Theologus, Presbyteros Romanos censuisse, quod non possent hominem ab alio Episcopo communiione privatum, sine hujus assensu communioni restituere, cum, si credidissent, appellationis, seu remissionis jus sibi jure Divino competere, sine Episcopi assensu potuissent causam ejus retractandam decernere.

3. Verum insistendo Epiphano ab ipsomet Elliesio adductis verbis, liquido constat, Seniores, seu Presbyteros Romanos Marcioni abolitionem excommunicationis ab ipsius patre Episcopo iniunctae denegasse praetendendo, se non posse quidquam contra hunc moliri. An non ergo hinc evadit manifestus Marcionis ad Romanam Sedem recursus contra patrem suum Episcopum, ad hujus scilicet sententiam retractandam susceptus, quamquam ex defectu legitima de istius injustitia probationis, praesumptione propter integram ejusdem Episcopi fidem, & cum Romana Ecclesia consensionem merito praevalente, Marcioni denegata fuerit petita absolutio, seu patre non consentiente, communionis restitutio. Nullius ergo valoris est praeducta Elliesiana illatio, cum appellationis, seu revisionis jus Sedi Apostolicae jure licet Divino concessum, non det facultatem, sine probabilibus innocentiae argumentis rescindendi sententiam ab Episcopo latam. Qualis probabilitas Marcioni defuisse dignoscitur.

4. *Secundò excipit Elliesius*. Cum in causa Paschatis tempore legitimo celebrandi, Victor Romanus Pontifex in Asianos Episcopos commotus, à communionem suam istos removisset, non hos duntaxat, sed alios multos

Galliae praesertim Antislites, unà cum Irenno monuisse Victorem, ut ea potius sentire vellet, qua paci & unitati, charitati que erga proximum congruebant, literis suis graviter perstringendo illum Pontificem: cujus tamen objurgationem iniquam futuram fuisse, si ipsi licitum fuisset, judicia intra Asiam lata retractare, Asiaque parere debuisset judicij à Romano Pontifice latitis.

Verum hujus in Romano Pontifice ad Asianorum Episcoporum judicia retractanda, atque ad hos in suorum Decretorum obedientiam adigendos, & cum non parerent, à communionem suam removendos potestatis, clarum argumentum elucescit ex illo Victoris exemplo, quem non tam oportuisset dehortari, ut ex majori pacis atque charitatis studio mitius ageret, quam pro nullo habere eius judicium, si ad hoc ferendum, nulla ei fuisset legitima potestas. Cum equidem potestatem suam abuti Galli de statu causae necdum plenè edocti crederent; postea tamen contemptum fuit, optimè ac prudenter fuisse aditum à Victore: quippe cum sententia ab hoc reprobatae author praecipuus fuerit Blastus, teste Tertulliano de praescript. in fine. paulatim judicium introducere conatus, ac docens, Pascha non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi decima quarta die Mensis Martij: hanc enim haeresim loam capite Blastum, Victoris Papae tempore etiam Romae seminare, testatur Eusebius lib. 5. hist. cap. 11. Cui proinde haeresi mature occurrendum censuit dictus Romanus Pontifex, gravius cuncto proter agendo adversus Asianos Episcopos, ut li errori adimplerent. An non igitur hinc patet, autoritativè in Papà erga Episcopos potestatis solennis & publicus actus.

Tertio. Adversus sequens pro recursibus ad Romanam Sedem allegari solitum, & à Cypriano lib. 1. Epist. 3. relatam exemplum, quando scilicet Fortunatus & Felix in Africa à Cypriano depositi, Romam navigaverunt, atque ad Cornelium Papam appellarunt, adversus hoc, inquam, exemplum excipit Elliesius, Cornelium Romanum Episcopum neque de causa Felicis ac Fortunati Romae judicasse, neque ejus retractationem decrevisse; imò ne quidem illos, utpote ab Episcopis suis damnatos, audire voluisse: de quorum proinde confugio sic judicasse Cyprianum in sua ad Cornelium Episcopum Epistola. *Navigate, inquit, audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre. Quae autem causa veniendi, & Pseudopiscoporum contra Episcopos factum nunciandi: aut enim placet illis, quod fecerunt, & in suo scelere perseverant; aut si displicet, & recedunt, ferant, quod revertantur: nam cum statutum sit omnibus nobis; & equum sit pariter ac justum, ut universaeque causa illic audiat, ubi est crimen admittendum; & singulis à pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui ad Deum redditurus; oportet utique eos, quibus praesumus, non circumscindere, nec Episcoporum concordiam coherentem suam fidei & salutem*

fallaci temeritate collidere; sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint; nisi, si paucis desperatis & perditis, minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conscientiam multis delictorum laqueis vincam, judicij nuper gravitate damnarunt. Tam causa eorum cognita est, iam de eis dicta sententia est. Nec censura congruit Sacerdotum, de mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi.

7. Verum nunquid ex his ipsis Cypriani verbis patet, dictorum in Africa damnatorum seu Episcoporum, seu Presbyterorum ad Cathedram Petri confugium? Quemadmodum autem verus appellationis recursus subsistere potest, dum Judex a quo ad judicem ad quem mittit litteras refutatorias: sic profecto litterarum Cypriani confutatoriarum querelarum, & allegatoriarum rationum, in quibus legitimarum probationum substantialium ex parte appellantium defectus subesse demonstratur, minime obsunt, quod minus ille ad Petri Cathedram recursus a Cornelio Pontifice propterea repulsam passus, in numero verorum de appellationibus ad Sedem Romanam exemplorum reponatur. Nisi enim tale jus de appellatione ex remotioribus etiam regionibus a Romano Pontifice recipiendis & discutendis, re ipsa substitisset, ad quid Cypriano opus fuisset, litteras refutatorias ad Cornelium dare, dum vel ipsa appellationis nullitas secutus fecisset Africanos Episcopos de sententia sua adversus Felicem & Fortunatum lata, valide, & cum effectu nequaquam retractanda, seu immutanda.

8. Quartò. Pro appellationum ad Romanam Sedem usu antiquo adferri solet Cypriani Epistola 67. ad Stephanum Romanæ urbis Episcopum scripta sub hoc tenore: *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelatensem consistentem a se litteræ, quibus absente Marciano, alius in locum eius substituitur.* Hinc enim aperte ostenditur Romani Pontificis in Episcopo Marciano hæresis Novatianæ reo abdicando, primæ etiam cognitionis judicij suprema potestas.

9. At Elliesius excipit, Cyprianum non rogasse Stephanum, ut judicet Marcianum, sed ut ad plebem Arelatensem Marciani ad Novatianos deficientis impietate commotam, ejus tamen societati adhuc addictam litteras scribat, quatenus omni cum eo societate rupta, alius in ejus locum eligatur Episcopus.

10. Verum quomodo Cyprianus in Stephano Romano Pontifice agnoscere potuisset potestatem decernendi novam Episcopi Arelatensis, Marciano remoto, subrogationem, nisi ei præ alijs cunctis Episcopis talem in Episcopo ob dictum Novatianæ hæreseos reatum removendo ac deponendo, auctoritatem inesse, pro certo habuisset? Quomodo enim plebi Arelatensi fas fuisset, suam privatam potestate absque altioris publicæ auctoritatis interventu in Episcopi prius legitime instituti locum subrogandi alterum? Et si isthæc auctoritas non specialiter ac supereminenter extitisset in Romano Pontifice, cur non a Galliæ Episcopis per Cyprianum æquè efflagitaretur?

11. Quintò. De Basilidis Episcopi a Provinciali Hispaniæ Synodo ad Romanum Pontificem recursu sic scribit Cyprianus Epist. 68. *Basilides post crimina sua, & conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum Papam longè postquam, & gestæ rei ac tacite veritatis ignarum sefellit, ut exambiret injustè, se reponi in Episcopatum, de quo fuerat depositus.*

12. Sed excipit Elliesius, eundem Cyprianum ab Hispanis Episcopis consultum censuisse, non obstante hoc recurso, eatenus validam fuisse alterius in Basilidis locum, suscepti Episcopi ordinationem, ut Papa non posset hanc iure perfectam ordinationem rescindere. Verum nisi Episcopi Hispaniæ decentem illi recurso respectum habuissent, quomodo tam solliciti fuissent, ut a Cypriano peterent consilium, acceptamque haberent responsum, ubi alterius Episcopi ordinatio jure jam esset perfecta, non posse hanc a Romano Pontifice rescindi: maxime cum Basilidis depositi non tam abolita fuerint delicta, quam ad superiora ejus peccata crimen quoque fallaciæ ac circumventionis accesserit? En igitur, non ex defectu legitime in Papa ad appellationis erga se recursum faciendum & admittendum potestatis, sed propter jus alteri in Basilidis locum subrogato Episcopo jam quaesitum, & propter ejusdemque a Papa per falsitatem, & circumventionem acquirendi rescripti invaliditatem, negasse Cyprianum, quod Stephanus Papa posset ordinationem jure jam perfectam rescindere.

13. Sextò. Cum Dionysius Alexandrinus perperam licet accusatus de Arianismo, Filium Dei creaturam asserente, proptereaque a Concilio Dionysioque Romano reprobatus fuisset, fert historia, ipsum sui purgandi causâ edidisse apologiam. An non igitur licet cum Baronio, alijsque hinc concludere, primarum præcipue Sedium Episcopos rectè accusari posse apud Summum Pontificem. Nec obitat Elliesij exceptio, ac si Dionysius apud Romanum Pontificem non juridicè fuisset accusatus, ut in eum ferretur sententia, sed finitri ejus mentis interpretes de eo fuissent coram Papâ duntaxat conquesti. Ut quid enim, si hæc querela non erat interposita ex respectu superioris in Romano Pontifice auctoritatis, Romam usque propterea recursus intentaretur? Et licet Iordica sententia inde non emanasset, sufficiebat tamen, ab ipso fidei rationem, non privatam utique, sed eo ipso, quod ad Concilium res esset delata, publicam etiam auctoritate fuisse ab ipso exactam.

14. Septimò. Cum Paulus Samosatenus ad duplex Antiochiæ habitum Concilium delatus, in primâ quidem Synodo Orthodoxam Ecclesiæ fidem simulans, evitasset depositionem, in alterâ autem hæreseos convictus, fuisset depositus, Domino in ejus locum substituto, sed domo Episcopali excedere abnuisset: exinde Imperatoris Aureliani brachio implorato, fuit ab hoc illius Decreti Conciliaris executio sub istis imperata verbis, *ut scilicet Eccle-*



fiat traderentur illis, quibus Religionis Christiana Antistes, & Romanus Pontifex scriberent, eas demandandas. Ut quid verò ab Imperatore facta fuisset ista ad Pontificem Romanum remissio, nisi sublimior circa institutos ac destituendos Episcopos in eo fuisset recognita auctoritas?

17. *Octavo.* Quod præsentis instituti argumentum adferri solet à Cæciliani Episcopi à nefario Africano Conciliabulo depositi, sed per Melchiam Papam restituti, id accipe ex ipsismet sancti Augustini verbis *Epist. 162.* ita scribentis: *Judicante Melchiade tunc Romanæ urbis Episcopo, cum collegis suis, quos ad preces Donatistarum miserat Imperator, in Cæciliano nihil probari potuisse, ac per hoc in Episcopatu fuisse confirmatum, Donatum verò, qui adversus eum tunc auderet, improbatum. Quid profectò clariùs dici possit ad ostendendum, judicium Cæciliani stetit unicè penes Melchiam Romanum Pontificem, nullo prorsùs apice asserante, eos, qui ad preces Donati ab Imperatore Romam fuerant cum Cæciliano missi Episcopi, pares cum Melchiade iudicis partes egisse, quin potius Donatus ipse fuerat in eo iudicio improbat, Cæcilianum verò à Melchiade in Episcopatu confirmatum?*

18. Hinc quando idem S. Augustinus *inferius* ita pergit scribere: *An fortè non debuit Romanæ Ecclesiæ Episcopus Melchades cum collegis transmarinis Episcopis illud sibi usurpare, quod ab Aphris septuaginta, ubi Primas Tisigitanus præsedet, fuerat terminatum? Quid, quod nec ipse usurpavit? Rogatus quippe Imperator iudices misit Episcopos, qui cum eo sederent, & de totà illà causà, quod justum videretur, statuerent. Ex quibus, si cum præcedentis S. Doctoris verbis conferantur, planè manifestum redditur, quos Imperator miserat iudices assessores, principaliter reduci in solum Melchiam, atque hunc ex proprià suà, non Imperatorià sibi delegatà potestate usurpasse sibi iudicium, quod ab Africano Provinciali Concilio priùs fuerat terminatum, nec profectò iudices assessores Imperator fuisset ad ipsum missuras, nisi in eo agnovisset supremam iudicariam in causis Ecclesiasticis auctoritatem, quam idem Divus Augustinus in eadem Epistolà contestatus, fuerat scribendo, Cæcilianum paratum fuisse dicere causam in Romanà Ecclesià, in quà semper Apostolica Cathedra vigerat Principatus.*

S. II.

In quo fit discussio causarum quarto Ecclesiæ sæculo iudicatarum.

19. Quatuor ex quarto Ecclesiæ sæculo argumentorum genera contra jus appellationum ad Sedem Apostolicam deferendarum, Elliesius *præf. suæ 2. Dissert. S. 2.* proponit. Primum petitur ex illis, qui à Patriarchali, seu Metropolitanà, sive Provinciali Synodo damnati, non provocarunt ad Romanum Pontificem. Secundum genus desumitur ab illis, qui per injuriam, seu vim depositi, suisque Episcopatibus privati, nullà licet interpolatà provocatione, à Pontifice Romano fuerunt

restituti. Tertium genus est illorum, qui recurrebant quidem ad Romanum Pontificem, quorum tamen causa non fuit ab hoc recepta. Quartum genus est illorum, qui ad Sedem Apostolicam, vel Concilium aliquod Oecumenicum appellantes, hujus auctoritate restituti sunt.

In primo igitur non appellantium genere numerantur primò Arius & Melitius. Hic à Petro Alexandrino depositus, Romam non provocaverat, ut restitueretur, nec alterum majus requisivit iudicium, sed cum nullam aliam retinendæ auctoritatis viam sibi superesse arbitraretur, ab Elliesio dicitur, hanc ob causam schisma conlâsse. At quia hic nequam vel ex causâ suâ dissentiã, vel ex superioris auctoritatis, Apostolicæ præsertim Cathedræ contemptu, maluit schisma potius conflare, quàm per appellationem, quippe cum isthanc, hæresi non abjuratã, hanc prociam sciebat, sibi consulere, num hinc momenti alicujus argumentum adversus Sedem Apostolicâ jura proferre fas est?

Similis profectò indignitatis est argumentum ab Ario desumptum, de quo Elliesius ait, cum Verbi Divinitatem negaret, ab Alexandro Episcopo Alexandrino, dein à Synodo Ægypti damnatum, & gradu dejectum, nullam sibi superesse provocationem putasse, ad Episcopos Palæstinæ sibi faventes confugisse, & ne tunc quidem, ubi iudicium in dies crelceret, provocatum esse ad Romanam Sedem, neque causâ hujus cognitionem ad se traxisse Pontificem Romanum, sed Imperatorem hujus controversiæ sopiendæ causâ, Synodum Generalem indixisse. Nunquid verò ex appellationis ob causam sibi per hæresin obdurato planè insensam intermissâ non actû, argumentari licet ad negandam potentiam tum appellandi, tum causam ex appellatione deferendi ad Sedem Apostolicam, tum per hujus iudicariam sententiam controversiæ finem imponendi? Arianâ hæresi invalescente, cur Constantinus Imperator ad remedium tanto malo ac diffidio adeo pernicioso adferendum, tanquam Ecclesiæ sanctæ Advocatus non se solo, sed uti in VI. Synodi actione 18. fertur, unâ cum Sylvestro Papâ indixerit Generale Nicænum Concilium, sicque Romanum Pontificem præ omnibus Orientis Episcopis in istâ causâ interpellârît, eundemque per suos Legatos Concilio præsidere passus sit, quæ alia potest esse ratio, nisi quia in illo agnovit auctoritatem Oecumenicam, ex quâ ceu Vicario Christi caractere ita subsistere debet substantiã legitimi Concilij Generalis, ut merito jam dici debeat, recursum, quem Constantinus Magnus in causâ extirpandæ hæresis fecit ad Concilium Oecumenicum, necessariò respexisse ad Pontificiam quoque auctoritatem, ceu primariam, & quâ cum Synodo Generali conjunctam, fidei controversiarum ultimâ decisivam? Ex illo igitur exemplo elucet recursus ad Sedem Apostolicam ab iplo etiam Imperatore Ecclesiæ sanctæ Advocato facti manifestum argumentum.

Sequitur.

22. *Secundò.* Sub primo illo non appellantium genere recenset insuper Elliesius sequentes Episcopos: nempe Eustathium Antiochenum, Paulum Constantinopolitanum, Lucium Hadrianopolitanum, Saturninum Arelatensem. De Eustathio igitur Antiocheno refertur, cum ab Orientis, sive Diceceleos suæ Episcopis injustè fuisset damnatus, ex amore sanctæ quietis acquiescisse iudicio, nec ad Pontificem, aut aliam Synodum provocasse. At numquid, ubi eveniret, quæmpiam à Regio Senatu etiam injustè damnatum non provocare, sed quibusdam ex causis acquiescere iudicio, hinc arguere liceret, nullum superfuisset jus ad Regem provocandi, seu appellandi?

23. De Paulo autem Constantinopolitano scribitur, quod damnatus iudicio, non equidem provocarit ad Romanum Pontificem, sed, invitis etiam adversariis, Sedem retinuerit, donec per vim ex ea eiceretur. Numquid verò, si, quos Regia Majestas Franciæ propter hæresim damnaverat, vi & armis resistere valuissent, ne Regis iudicium adversus ipsos prævalere potuissent, num propterea supremum in Rege iudicariæ autoritatis tribunal fas esset negare?

24. De Lucio Hadrianopolitano, & alijs ferme omnibus, quos Ariani injustè damnaverant, dicit Elliesius neque provocasse ad Romanum Pontificem, neque ab eo literas, per quas restituerentur, obtinuisse. Verùm, dum isti apud Papam non se insinuabant, quomodo illis præbuisset autoritatis suæ brachium, vel dum spes non erat, alicujus ex autoritate Pontificia apud Arianos proficui remedij, quomodo manum suam proijs, quos iniquè oppræsserant, saltem absque prævio ad se recurso indifferenter extendere ex prudentiæ rationibus potuisset?

25. De Saturnino Arelateni à Gallicanis Episcopis deposito ait Elliesius pag. 162. ipsos Synodi Parisiensis Episcopos testari, quod nullus ei superesset appellationis locus. At istud minimè dicit ea Synodi Parisiensis attestatio, sed ait duntaxat, ipsum ceu saluberrimorum statutorum violatorem, proptereaque excommunicatum, ab omnibus Gallicanis Episcopis ob vetera insuper jam diu denudata crimina, novæque temeritatis epistolis suis editam indignitatem, se fecisse indignum nomine Episcopi. Est igitur, hæc scelera, cæteraque indignitas ejus ipsum ceu statutorum saluberrimorum temeratorem cohibuissent ab appellatione, an præterea fas est, hinc inferre, nullum Sedi Apostolicæ appellationum admittendarum jus fuisse?

26. Quod reverà jus neque Priscilliani à Synodo Burdegalensi in Galliâ depositi ad Imperatorem, non ad Romanum Pontificem recurrentis temeritas obscurare valet; quamquam in hoc Elliesius sibi videatur contradicere subjungendo, ipsum insuper Priscillianum cum Instantio & Salviano damnatum à Casaraugustanâ Synodo, confugisse Romam, ut illic sibi objecta purgaret, Damaso licet eos non suscipiente, sed ne in conspectum quidem admittente, eò quod in

Synodali adversus eos sententiâ additum fuerit, ut, si quis damnatos in communionem susciperet, in se eandem sententiâ esse promovendam, sciat.

27. Num verò credere fas est, sub istâ adjunctione fuisse à Casaraugustana Synodo intentum, ultra suæ potestatis spheram, atque adeo adversus Romanum quoque Pontificem extendere Excommunicationis comminatoriam sententiâ? An non è contrario Priscillianus unâ cum Instantio & Salviano, ut objecta sibi crimina purgaret, Romam confugiens hujus Tribunalis supereminentiæ auctoritatem agnovit, Damaso licet eos rejiciente, non utique ob Excommunicationis, à Synodo Casaraugustensi intentæ metum, sed ob illorum causæ indignitatem.

28. *Tertiò.* Sub secundo præsentis instituti genere numeratur Marcellus, quem Julius Pontifex cum Athanasio in communionem suscepit, damnatum ab Orientalibus in Constantinopolitanâ Synodo. At contra istud exemplum excipit Elliesius præf. pag. 159. Marcellum non appellasse ad Pontificem, nec ab eo fuisse restitutum, sed à Synodo Sardiceni: imò hæc etiam restitutione factâ, neminem in Oriente ipsum pro hæretico non proscriptis, quamvis Athanasius à ferendo in eum iudicio abstinuerit.

29. Verùm quia Concilium Sardicense ex Apostolicâ Papæ auctoritate noscitur substituisse, an non oportet igitur, Marcelli ex Sardiceni Concilij Decreto restitutionem in ipsum etiam Julium Summum Pontificem reducere? Et licet quàm plures Orientales tum Synodo Sardiceni, tum Julio Pontifici se se oppoluerint, num isthæc pertinaciâ derogare potest, vel Oecumenicæ Synodi, vel Summi Pontificis auctoritati? Ex eo proinde exemplo liquidum evadit Papæ sive solius, sive Concilio Generali stipatam auctoritatem supereminuisse Synodo Constantinopolitanæ, illo Christi vicario Papæ proprio, Concilijque quâ Oecumenici substantifico caractere destituta.

30. *Quartò.* Progredimur ad tertiam contra appellationum ad Sedem Apostolicam jura ab Elliesio allatum argumenti genus, in quo unice occurrit Bonofus. Cujus de hæresi circa Mariæ Deiparæ virginitatem delati iudicium cum à Synodo Capuensi fuisset remissum ad Thessalonicensem Metropolitanum, vicinosque Episcopos, hi verò causam ejusmodi graviorem arbitrati, cum Syricium Papam consulissent, atque istius sententiâ rogassent, hunc in modum respondit præfatus Romanus Pontifex: nempe sibi competere non posse judicandi formam, eò quod Concilij Capuensis iudicium fuerit, ut finitimi Bonofus, ejusque accusatoribus iudices tribuerentur præcipue Macedones, unâ cum Episcopo Thessalonicensi, de ejus factis cognitionem accepturi, quorum proinde sit, hoc facere iudicium, sententiâque ferre de omnibus, nullâ vel accusatoribus datâ referendi,

giendi, sive elabendi copiâ. Cùm porro Bonofus Episcopus post præinsinuatam Papæ judicium, misisset ad Ambrosium Episcopum proconsilio petendo; *An liceret interdici sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi, ait Elieus, fuisse eidem responsum, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modeste, patienter & ordine gerenda sint, neque contra sententiam sit aliquid tentandum.* Ex quo duplici rescripto, ait præactus Elieus, patere, tum quòd Papa sit factus, sibi non competere formam judicandi, ubi causa Bonofus Metropolitanæ ac Episcopis vicinis est commissa, sed ita horum esse, ferre sententiam, ut nulla accusatoribus, vel accusato sit copia refugiendi, aut elabendi: tum quòd Papa & Ambrosius censuerint, post Synodi Provinciæ judicium nihil contra hoc tentandum esse, nec licere ulli etiam Romano Antistiti, causam ad se amplius evocare, sicque adeò nullis alijs, quàm vicinis Episcopis, ipso etiam Syricio teste, formam judicandi competere.

31. Verùm, si penes Romanum Pontificem non existeret circa Episcoporum judicia aliqua Concilio, vel ex Provinciæ, vel ex finitimis Antistitibus consistente, supereminetior autoritas, ad quid Metropolitanus Thessalonicensis cum Episcopis Macedonibus recurrisset ad Sedem Apostolicam, priusquam suum super Bonofus ferret judicium? In hoc enim ad Syricium Papam recursu fuisse ab illa Episcoporum Synodo requisitam stricti iudicii formam, evincitur ex hoc, quòd responsio convenire debeat cum petitione; Syricius autem responderit, sibi non competere judicandi formam (quam ipse quoque Elieus de stricto intelligit iudicio) postquam Concilij Capuensis judicium jam erat latum, ut finitimi, Macedones scilicet Episcopi cum Thessalonicensi Metropolitanæ de Bonofus factis (judicialiter) cognoscerent. Ut igitur illud Pontificium responsum cum Macedonum Episcoporum petito cohereret, oportet, id taliter intelligere, ut Pontifex non absolutam judicandi formam ab illis Episcopis requisitam, sed judicij ad se trahendi decentiam duntaxat negaret, ubi causa jam erat in manibus ejusmodi Thessalonicensis Concilij à Capuensi Synodo requisiti. Quare Syricius eatenus dixit, Macedonum Episcoporum esse hoc judicium, unâ cum potestate ferendi mandatum providendi, ne vel accusato, vel elabendi copia. Nunquid verò istud Syricij mandatum præsupponebat in hoc superiore Concilio illo autoritatem? Quando proinde Ambrosius à Bonofus consultus, negavit, eidem licere, interdici temerare, ingrediendo Ecclesiam, atque negavit, licere contra sententiam illorum Judicium aliquid tentare, ita in his probavit judiciariam autoritatem, ut summa sit ineptia, ex hac inferre velle, ac si nulla ejus causæ, si hujus meritum ac reistatus tulisset, judiciaria, eaque supereminetior autoritas substitisset in Romano Pontifice.

32. Quindò. Circa præinsinuatam argumenti

genus *quartum* occurrit in primis S. Athanasius, qui in Tyri Synodo, & postea in Antiochenâ Synodo damnatus, Romam confugit, atque à Pontifice Julio benignè exceptus, in suum Episcopatum fuit restitutus, Concilio Sardicensi, invitus ejus adversarijs, confirmante illud restitutionis judicium.

At Elieus præf. Dissert. 2. pag. 152. repetit, Athanasium non à Synodo Provinciæ, aut Diceceseos, sed à Synodo extraneorum Episcoporum fuisse damnatum, Constantino Imperatore istorum judicium, utpote contra leges latum, non habente ratum, ac propterea ad se evocante Episcopos ejus Concilij, ut facti sui rationem redderent. Quare Athanasium ita damnatum non provocasse ad Romanum Pontificem, nec ab eo petisse, ut videret, num ejus causa esset talis, que deberet iterum examinari, sed confugisse ad Imperatorem, ut hic rescinderet, que contra formam judiciorum ac leges adversarijs facta fuerant: quem proinde non ex Synodi Decreto, sed Imperatoriâ autoritate fuisse ejectum in exilium, suaque privatam Sede, neque ut hanc recuperaret, Romani Pontificis auxilium impetrasse, sed à filio Constantini fuisse restitutum. Cùm deinde Eusebiani iterum accusationes in eum renovarent, non Athanasium, sed illos ipsos Julio Romano Episcopo causæ arbitrium detulisse, & ab eo Synodum petisse, Julio referente, *justum esse, ut ubiqueque velent, Synodum fieri.* Unde Julium à partibus electum judicem, potuisse equidem Eusebianos ad se evocare, & detrectantes damnare, ac Athanasium absolvere: neutrum tamen fecisse, nec ullum tulisse judicium, sed audita Athanasij Apologia, suam cum eo communicationem confirmasse, & pro Episcopo habuisse, neque hoc fecisse solum, sed Concilium ad Eusebianorum preces esse convocatum: prout id constat ex *litteris Julij apud Athanasium.* Quia porro Orientales falsò supponebant, Julium id judicium à se ultro ipsi delatum usurpasse, fuisse illos exinde conquestos, eum contra Canones & regulas judicasse: Julio eapropter adversus Eusebianorum expostulationes factum suum defendente, eò quòd ab ipsis fuerit electus iudex, missus etiam ad se Legatis. In qua etiam defensione Julium non suam, sed Concilij à se ad illorum preces congregati jactare autoritatem, in vi ejus potuerint acta Synodi Orientalis in aliâ Synodo examinari: cùm præsertim Athanasius contra formam judiciorum abens damnatus fuerat. Nec proinde Athanasium à Julio Sedi suæ restitutum esse, sed in Occidente substituisse, donec à Sardicensi Concilio restitueretur, Sardicensem verò Synodum retractasse Athanasij causam ex rescripto Imperatorum. Ipsum præterea Athanasium Occidentalium per Sardicensem Concilium lato judicio haud contentum, Orientalium quoque judicium postulasse, & ab ipsis subscribentibus epistolæ Synodice Concilij, tum seorsim per eorum litteras esse pronuntiatum innocentem. Quibus ita se habent-

benibus, facile intelligi, tum quod Athanasius nihil egerit, ex quo concludere possit, cum ad Iulium appellasse, tum quod Iulius nihil sanxerit, ex quo perspicui possit, cum jus habuisse retrahendae causae, sed iudicium in Athanasium latum fuisse necessarium irritum, quia factum fuerat ab extraneis contra formam iudiciorum per vim & ambitum, cum absens foret, cumque innocentia eius esset omnino manifesta, non solius Iulij, sed omnium Occidentalium sententia, additis etiam Aegyptiorum & Orientalium quamplurimorum suffragijs.

Verum ne historicae contentioni immorando, longioribus hinc inde contradictionibus involvamus, sufficiat, paucis ob oculos hic ponere, quae circa Athanasium purior fert relatio, quod nempe e sua Ecclesia saepe eiecus, saepe etiam in eandem & Julij Romani Pontificis auctoritate, & Constantis Imperatoris, Constantijq; fratris patrocinio, decretis quoque Concilij Sardicenis ac Ierolimymitani sit restitutus. Quo supposito, pergo ad argumentandum ex ipsissima Elliesij relatione. Dum enim hic Theologus ait, ab Eusebianis in Athanasium accusationes renovantibus fuisse Julio Romano Pontifici delatum arbitrium, num credere fas est, hos Athanasij infensissimos hostes tantum delaturos fuisse Papae, nisi hujus supereminentem existimassent auctoritatem? Sed Synodum petiisse Papam, ait idem Elliesius? Cur hoc? Nisi quia in eius auctoritate sciebat situm, ut Synodus Oecumenicam ex eo reciperet characterem. Et verò cum idem Parisiensis Doctor fateatur, Julium ab ipso etiam Athanasio fuisse electum Iudicem, quomodo hinc non patet ejusdem ad Romanum Pontificem recursum?

Dum autem reponitur, Iulium non aliter nisi qua Iudicem a partibus electum potuisse ad se vocare Eusebianos, detrectantesque damnare, ac Athanasium absolvere: quomodo in tantum contra detrectantes prevalere potuisset, nisi altiori potiretur Jurisdictione, qua invitos constringere, imò damnare valeret? Dum insuper Julius, auditâ Athanasij Apologia, communicationem cum eo confirmavit, & pro Episcopo eum habuit, nunquid auctoritatis publicae in Julio actus contra Eusebianorum attentata hinc comprobantur? At id non à solo Iulio, sed unâ & Concilio eam ob causam congregato factum, replicat Elliesius. Nunquid verò istud quoque Concilium dicere fas est, habuisse auctoritatem ex solo arbitrio Eusebianorum? Hoc profectò cum sacro Evangelio repugnans, quam nefarie asseritur, tam evidenter probat Julij in Concilio Sardicensi congregando, & per vicarium Christi characterem suum auctorizando, Provincialibus, vel quibuscunque sive legitimis, sive illegitimis Synodis supereminentem auctoritatem, quam eo ipso venerati sunt, quotquot ex Orientalibus etiam Episcopis subscriperant Synodicae Epistolae, indeque Athanasium suis quoque litteris innocentem pronuntiarunt.

Sexto. Unum praeterea in causâ Athanasij sibi objici posse, ait Elliesius, quod nempe

Iulius in sua Epistola videatur innuere, non licuisse Orientalibus, Athanasium damnare absque sua auctoritate. Nam si, inquit, ut dicitis, omnino in culpâ fuerunt, oportuit, secundum Canonem, & non isto modo, iudicium ferri, oportuit, scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod iustum esset, decerneretur. Et postea, An, inquit, ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod iustum est, desiniri possit. Quapropter si isthic huiusmodi suspicio in Episcopum suscepta fuerat, adhuc ad nostram Ecclesiam referri debuit. Quid clarius scribi potuisset ad demonstrandam Sedis Apostolicae super causis Episcoporum auctoritatem?

At excipit ille Parisiensis Theologus, Iulium non loqui de sua sententia, sed de omnium Occidentalium consensu: queri enim, quod Orientales Athanasium Antistitem sine consensu Occidentalium, imò his inscjs, damnassent. Hinc reciprocam ab Orientalibus factam esse querelam: quod hanc novitatem molirentur (Occidentales) inducere, quam horret vetus consuetudo, ut in Concilio Orientalibus Episcopi, quod sortè statuisset, ab Occidentalibus rescirentur. Præterdusse igitur Orientales, se pares haberi cum Occidentalibus, quorum iudicia in Novatum v. g. Sabellium & Valentinianum lata, sine novo examine fuerint confirmata ab Orientalibus.

Verum hæc ipsa Elliesiana exceptio egregium pro intento nostro præbet argumentum. Cur enim Iulius Pontifex successisset Orientalibus, quod absque communi Occidentalium quoque consilio in causis gravioribus statuendi potestatem sibi arrogarent, dum tamè Orientales econtra, Occidentalibus unâ cum Papâ fidei Dogmata Conciliariter sancientibus, nullam rescicandi causam & potestatem habebant; nisi quia illis, contra quas Iulius conqueustus fuit, Orientalium Synodis defuerat auctoritas Pontificia, unicus Concilij quâ Oecumenici character, Christum eatenus vicariè representans, ut exinde Synodus in nomine Christi congregata dici valeat, potiri infallibili Christi & Patris Aeterni, unâ ac Spiritus sancti assententiâ? Non est igitur paritas inter præcisam Orientalium Synodum tali vicario Christi characterè desitutam, & Occidentalium (inter quos Papa recensetur) Concilium auctoritate Christi vices gerente insignitum.

Septimo. Inservit instituto nostro exemplum Eustathij Sebasteni. Hic depositus in Synodo Constantinopolitana, & ab Arianorum factione vexatus, Romam confugit ad Liberium, à quo litteras obtinuit, per quas restitueretur; uti habet S. Basilius Epist. 74. At Elliesius præf. pag. 163. hoc Basiliij Magni testimonium refutare nititur, asserendo, Eustathium non venisse in Occidentem ad Liberium, ut restitueretur, quippe qui depositus non fuerat à legitimis Iudicibus, sed à Synodo Constantinopolitana Anno 359. quæ erat Acacianorum. Numquid verò auctoritatis supereminentis est, non tantum contra Iudicariam sententiam inferioris legitimi Iudicis, sed etiam contra vim alterius per

34.

35.

36.

37.

38.

39.

itas
re
olica
VI

violentiam sibi usurpantis iudicium, facere restitutionem illius, qui passus est injuriam? Quod autem Liberius eum non prius Sedi suæ restituerit, quam fidei Nicænæ de Liberij mandato emiserat professionem, utpote qui suspicionem hæreseos ex Semiarianorum ad Liberium legatione incurrisset; hoc rursus probat, hujus Pontificis in ipsis etiam fidei causis auctoritatem, in vi cuius idem Eustathius receptus in communionem, & tanquam verus Catholicus Tyanensi Synodo per Liberium declaratus, merito ab hoc Concilio obtinuit executionem mandati Pontificij, de ipso in Sedem suam restituendo, & sic à Liberio restitutum fuisse, optimè scripsit prædictus Basilius.

40. *Obiavò.* Paris argumenti energiam adfert exemplum Maximi Episcopi, qui Constantinopoli pulsus, ad Occidentales confugiens, in Synodo, quæ videbatur ex totius orbis Episcopis præscripta, causam suam egit. Nec obest, Occidentales solos cum Summo Pontifice non eatenus sibi usurpasse iudicium, quin Orientales in communis arbitrij consortium vocaverint. Etenim Oecumenici Concilij per Christum *Matthæi 18.* instituti naturâ penitus inspectâ, ita est universorum, ac quorumcunque Sedis Apostolicæ communionem obtinentium Episcoporum par suffragium, seu paris in Concilio arbitrij consortium, ut eorum tamen iudicium haut subsistat, nisi ex accessu autoritativi per Papam, Christi vicarium nomen præferentem præstiti consensûs. Et hinc dum Maximus exemplo Athanasij, & aliorum Orientalium Episcoporum ita confugit ad Occidentales, ut hi paris cum Orientalibus arbitrij consortium, non nisi sub vicario Christi charactere Papæ proprio intra Generale Concilium pro causâ illâ decidendâ expeterent, manifestum hinc redditur, illud Maximi ad sublimiorem auctoritatem confugium vel maximè respexisse Romanum Pontificem ceu Caput ejusmodi Generalis Concilij. Et hinc conficitur, quàm indebitè Orientales, postquam in Synodo Constantinopolitanâ Flavianum deposuerant, reclamantibus Occidentalibus, atque Concilium Generale pro eâ causâ examinandâ postulantis, contenderint, Nestarium loco Flaviani à Constantinopolitanâ Synodo substitutum, secundum Canones Nicænos esse manutenendum, quippe cum isti Canones, velut in antecedentibus extat probatum, nullatenus exclusam unquam voluerint Concilij Oecumenici, per vicarium Christi charactere autorizati, omnibus seu Dioceseon, seu Provinciarum Synodis supereminens ex Papâ simul quâ Capite, & totius Christiani orbis Episcoporum convocatorum, in pauciori licet numero comparentium Hierarchico Ecclesiæ sanctæ corpore subsistentis auctoritatem. Sic ite adeò Elliesius suis machinationibus haudquaquam prævalere potest, quin semper superemineat Papæ ceu Capitis Ecclesiæ, Apostolica Christi vicaria auctoritas.

Nondè denique hic occurrit S. Ioannis Chrylostomi exemplum, ex Elliesio

pag. 166. verbis sequentibus referendum ac explicandum. Nempe sanctus hic Episcopus in Synodum ad Quercum vocatus, iudicium istud recusavit, hanc præcipuè ob causam, quod oporteat, in quibuscunque Provinciis negotia tractari, nec adeò congruum sit, ut hi, qui in Ægypto sunt, iudicent eos, qui in Thracia. Cujus tamen, aliarumque contestationum nullâ habitâ ratione, cum Chrylostomus iudicaretur absens, ad majorem Synodum provocavit. Hinc revocatus ab Imperatore, cum fore ad Synodum majorem appellationi insisteret, hinc minime attentis, ab altera Synodo fuit damnatus, eò quod iudicatus à Synodo, sine alterius Synodi auctoritate Sedem suam recepisset, postquam damnationem eiecit, cum nihil reliquum esse sibi videret, litteras ad Innocentium Romanum Pontificem scripsit, quibus obsecrabat, ut ab eodem Papa resciberetur, quod hæc tam iniuè contra se absentem, & iudicium non declinantem facta non habeant robur: sicut neque naturâ suâ habeant: illi autem, qui nec convicti fuissent redarguti, neque habiti uti rei, communionem fuerint. Quibus ita se habentibus, concludit dictus Parisiensis Theologus, ex ijs, quæ in causa Chrylostomi gessit Innocentius, probari, eum sibi non arrogasse jus rescindendi iudicij in eum latis, sed quod contra Canones esset factum, ipsaque adeò naturâ suâ irritum, solummodo improbandi: quale iudicium, teste Gelasio Episc. ad Faustum non solum apostolico Præsuli, sed cuiusque Pontifici facere licere.

Verum accuratiori trutinâ expendendum relinquo ipsimet Elliesio: si Episcopus à Synodo, non attentis ullis etiam de incompetentiâ Fori contestationibus, iudicijque suspecti recusationibus, indebitè ac per vim depositus, provocet ad majorem Synodum, nec ab Imperatore revocatus, à sua ad majorem Synodum appellatione desistere volens, coram alterâ proinde Synodo eas propter aggregatâ damnetur, eò quod iudicatus à Synodo, sine alterius Synodi auctoritate Sedem suam recepisset: indeque rejectus ad Romanum Pontificem recurrat eodem supplicando, ut rescribat, quod talia, reo etiam absente, & iudicium non declinante, tam iniuè facta nullum habeant robur, sicuti ipsa etiam naturâ vigorem non obtineant, ideoque illi, qui iniuè egerunt, poenæ Ecclesiasticarum Legum subjaceant, ipse verò reus nec convictus, nec redargutus, nec habitus tanquam reus, litteris dicti Romani Pontificis declaretur innocens, ad aliorum, prout antea fruebatur, societatem admittendus: Pontifex autem sic requisitus iudicium à Synodis dicto modo latis ceu contra Canones factum, & naturâ suâ irritum improbet, an non hæc improbatio auctoritatem Synodis supereminentem probet? Quomodo enim quis superiori ejusmodi potestate carens, cum aliqua efficacia (vel absque iudicio in ipsum relapsuro) per litteras Apostolicæ etiam Cathedræ characterem præferentes, facere posset talem authenticam iudiciorum à Synodis latorum, ceu sacris Canonibus repugnantium, ipsaque adeò natura suâ

ra sua irritorum improbationem, jurisdictionis ac Processus Judicarij substantialium in prioribus iudicibus, integris etiam Synodis, defectuum declaratoriam?

43. Excipit equidem Elliesius, ex Gelasij Epist. ad Faustum sententiam non solum Præsuli Apostolico, sed cuicumque Pontifici liceretalem facere improbationem iudicij, contra Canones facti, ipsaque adeo naturam suam irriti declaratoriam.

44. At hoc discriminis est inter Apostolicum, alterumve Præsulem, quod hic intra suam solummodò sphaeram in ordine ad iudices sibi subordinatos, ille verò contra Episcoporum etiam Synodos, suam adeo Apostolicam auctoritatem de iure subiectos tale quid facere possit. Cum igitur in causa S. Chrysostomi status ita se habuerit, quemadmodum superius fuerat representatus, prorsus evincitur inde, Romani Pontificis super Synodis (formaliter saltem non Oecumenicis) quibuscumque supereminetia, ut proinde recursus ad illum præfacto modo facti, & hinc iudiciorum antea factorum, quæ cum sacris Canonibus pugnantium, & naturam ipsam irritorum declaratoria improbatio, in Papa præferant clarum superioris iudicariæ auctoritatis, appellationumque adeo admittendarum juris argumentum.

S. III.

Expenduntur exempla Appellationum, quæ circa causas Africanorum Episcoporum proferri solent.

45. Primum ad præfens institutum producitur causa Cælestij Pelagiani, qui in Synodo Carthaginensi anno 412. damnatus, ab Africanorum sententiam appellavit ad Innocentium Romanum Pontificem. Quæ appellatione minime obstante, nec expectato Innocentij, ad quem fuit appellatum, iudicio, ait Elliesius præf. pag. 172. Africanos iterum damnasse Cælestium: quod argumento esse, Innocentium non admisisse appellationem Cælestij, cum ceteroquæ posterioribus Africanorum iudicium haud comprobasset, sed aut ipse de Cælestio sententiam tulisset, aut iudices in Provincia dedisset.

46. Verum & hoc superioris in iudice ad quem auctoritatis argumentum est, si appellatione ad se interposita, vel hanc non acceptet, vel sententiam à priorè iudice latam comprobet, permittendo etiam iudici à quo facultatè, ut sententiam à se prius latam recenseat, & confirmet. Mortuo equidem Innocentio, ad ejus successorem recurrebat Cælestius, novum (uti Elliesius fatetur) ab eo petens examen, suamque prætexendo innocentiam, non parum faventem obtinuit Epistolam, quæ citabantur Africanis ad ipsum accusandum: quibus non comparantibus, graviter exposulaverat Zosimus, ut propterea Episcopi Africanis in unum convenientes, Cælestij & Pelagij errores anno 417. damnaverint, & apud Zosimum conquesti fuerint, nimiam ab ipso esse fidem Cælestio adhibitam, mis-

sis ad eandem causæ actis, seu gestis cum Cælestio. Unde Pontifex ille æquior factus, postquam Sedis Apostolicæ commendaverat auctoritatem, negabat, se in omnibus Cælestio fidem accommodasse, contestando prætereà, se nihil definitivè, aut sine maturo examine definiturum esse.

47. Quibus proinde, juxta ipsius etiam Elliesij relationem, ita se habentibus, an non hinc apparet prævalidum iuris ad Sedem Apostolicam appellandi argumentum? Maximè cum iudicij ab Africanis Episcopis lati examine per Cælestium petito, illi fuerint per Zosimum citati, & licet non comparuerint intra terminum præfixum, quod scilicet Synodus, quæ Cælestium damnaverat, tam citò haud potuisset denuò convenire ad causæ statum communi voto Pontifici Papæ referendum: nihilominus quia hæc ipsa Synodus, præhabito communi consilio, causæ acta, & cum Cælestio gesta miserat ad Zosimum, manifestè hinc evincitur; ab illius Provincia Episcopis agnitam fuisse Romani Pontificis in causis, per appellationem ad se delatis auctoritatem iudicariam, quam ipsemet quoque Zosimus claris verbis contestabatur, quædo Apostolicæ Sedis auctoritatem suo rescripto commendans, asseruit, se nihil definitivè, aut sine maturo examine definiturum esse. Quomodo enim hoc dicere ipsi licuisset, nisi ex actis ad se transmissis melius informatus (ipsomet iterum Elliesio fatente) causæ illius definiendæ potestatem in se agnovisset? Imò quia hic Pontifex ad iudicium postea vocavit Cælestium, atque hunc adesse renuentem, ex urbe profugum prædamnavit, an non iudicariæ suæ auctoritatis evidens tunc specimen dedit?

48. Secundò. In ijs quidem, quæ deinceps quoad appellationis iura inter Romanos Pontifices ac Africanos Episcopos agitabantur, ipsimet etiam nostrorum temporum Neoterici, ansam præripiunt, asseverandi, Concilium Carthaginense anno 419. celebratum appellationes transmarinas ad Sedem Romanam explosisse.

49. Verum appellationes Episcoporum à Concilio Provinciali ad Sedem Romanam fuisse illo etiam tempore ab Ecclesia Africana ratas habitas, constat ex sancto Augustino Epist. 162. & 261. in quorum priori dicitur, jus fuisse Carthaginensi Episcopo ad Romanam Ecclesiam, in qua semper vigerit apostolica Cathedræ principatus, provocare, causamque suam ibi dicere. In posteriori autem recensentur aliquot exempla appellationum ab Episcopis Africanis ad Sedem Romanam interpositarum, & ab hac sancta Sede iudicante, vel iudicia primæ instantiæ (uti Augustinus citatus loquitur) firmante terminatarum. In qua porro epistola hic sanctus Ecclésiæ Doctor apertis verbis defert appellationis causæ ad Sedem Romanam interpositæ.

50. Tertio. His prælibatis, agendum nobis est cum Elliesio præf. Dissert. 2. pag. 174. multis recensente Apiarij Presbyteri à sui Siccenis Episcopi iudicio contra se lato recursum habentis ad Zosimum Romanum Pontificem.

ritas
tra
tica
VI

Ex quo recurſu magna Africanorum, arbitrantium, Papam in recipiendo Apiario, antiquos violâſſe Canones, eſt facta commotio, fuitque propterea aggregata magna eorundem Episcoporum Synodus, in qua Apiarius non quidem Eccleſiæ Siccenſi reſtituebatur, honor tamen preſbyteriſſeidei fuit ſervatus, gravi hinc inter Africanos & Romanum Pontificem exortâ controversiâ circa Episcoporum appellationes, & formam iudicandi Clericos, pro cuius controverſiâ deciſione Pontificij Legati ad Synodum illam deſtinati *Septimum* Canonem Sardicenſem ſub nomine Nicæni Concilij allegabant, ubi verò iſte Canon neque in ſuis, neque in alijs ab Alexandrino & Conſtantinopolitano Antiftite ad ſuam inſtantiam tranſmiſſis dictæ Synodi Nicæne exemplaribus fuiſſet repertus, in malam partem ab Africanis Episcopis accepta fuit ea Pontificiorum Legatorum allegatio.

51. Verùm Sardicenſe trecentorū ſeptuaginta ſex ex triginta ſex Provincijs univerſi orbis Chriſtiani Episcoporum Conciliū, æquè ac Niſcanum fuiſſe Oecumenicum ac legitimum, conſtat ex ſancto Athanaſio in princ. *Apol. 2.* Auguſtino *Epift. 162.* Sulpitio *lib. 2. ſacræ hiſt. Socrate lib. 2. cap. 16. hiſt. Eccleſ. ac ex ætis Concilij præſertim in fine*: nec adeo aliquis authoritatis majoris fucus fieri potuiſſet, etiam ſi Canon à Sardicenſi Concilio editus ſub nomine Nicæni Concilij eſſet allegatus. Et verò Concilium Sardicenſe nullibi ponitur ſeparatim à Concilio Nicæno, ſed poſt illud ſecundo loco ſtatim numeratur Conſtantinopolitanum. Quæ igitur huius eſt ratio? niſi quia Sardicenſis Synodus cum Nicæna cenſetur una & eadem, partim quòd utriusque interfuert iſdem ferè Patres, nihilque aliud in Sardicenſi Concilio conſtituerint, quàm quòd Nicænam Synodum conſirmârint, ejuſque Canones duntaxat explicârint; partim quòd Canones utriusque Concilij, Sardicenſis nimirum ac Nicæni in Romanâ Bibliothecâ, & in quodam exemplari Concilij Nicæni, quod Dionyſius ante mille annos è Græco convertit, quodque etiamnum adhuc Atribati in Monafterio ſancti Vedæſti extat, ita conjuncti habeantur, quaſi unius Concilij Canones eſſent, *ex tom. 1. Concilior. edit. Colon. pag. 446.*

52. His taliter conſtitutis, pro quarto Synodus Africanorum Episcoporum Sardicenſis Concilij Canonibus circa Episcoporum & Clericorum iudicia diſponentibus merito detuliffet non illo duntaxat intermedio tempore quo ex Alexandrino & Conſtantinopolitano Antiftitibus exquirebantur Concilij Nicæni exemplaria, ſed licet iſthæc non complectebantur *ſeptimum*, ac reliquos in Sardicenſi Concilio poſtmodum ſancitos Canones, iſti nihilominus, ceu ab Oecumenica Synodo compare Concilio editi, fuiſſent recipiendi à Patribus Africanis, quos tamen è contrario, ait Ellicſius, peremptorio ſtatuiſſe decreto, non eſſe tolerandas Episcoporum ad Romanum Pontificem appellationes, nec Clericorum improba re-

fugia probanda eſſe; talibus in hanc ſententiam litteris ſub Aurelij, aliorumque Concilio Carthaginenſi antehac præſentium nomine ad Cæleſtinum Papam reſcriptis: quòd ſcilicet impendiò deprecarentur, ne ad Romanam Sedem ex Africâ venientes facilius admittantur, nec ab Africanis excommunicati, à Papa excipiantur in communionem: cum hoc etiam Nicæno Concilio deſinitum facile adverti queat; quamvis enim de inferioribus Clericis, vel laicis videatur ibi præcaveti, quantò magis hoc de Episcopis voluiſſe obſervari, ne in ſua Provincia à communionem ſuſpenſi, vel præproperè, vel indebitè videantur à Pontifice communioni reſtitui Subdebat ibidem deprecando eundem Cæleſtinum, ut Preſbyterorum quoſque, & ſequentium Clericorum improba refugia repellat, quia & nullâ Patrum deſinitione hoc Eccleſia derogatum eſt Africanæ, & Decreta Nicæna, ſive inferioris, ſive ſuperioris gradûs Clericos, ſive ipſos Episcopos, Metropolitanis apertiffimè commiſerunt, prudentiffimè enim, juſtiſſimèque viderunt, quæcunque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, ſinienda, nec unicuique Provincia gratiam ſancti Spiritûs deſuturam, quâ æquitas à Chriſti Sacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiffimè teneatur: maxime quia unumque conſeſſum eſt, ſi iudicio offenſus fuerit Cognatum, ad Concilia ſuæ Provincia, vel etiam Vniverſale provocare.

Hæc igitur ſunt, in quibus præallegatus Doctör Pariſienſis tantoperè gloriatur, ac ſi Cæleſtinus videns, Afros Episcopos jus ſuum tam conſtanter tueri, à propoſito detercius eſſet, utpote qui non amplius fuerit conatus Apiarium reſtituere; nec Legatos in Africam miſerit, nec appellationes Episcoporum ſuſceperit, nec Clericos Afros ad ſe conſugientes, reſtitui curaverit, nec tamen propterea ab illorum communionem diſceſſerit, ſed ſe ab iſo victum eſſe, haud ægrè paſſus fuerit.

Verùm mi Ellicſi, quid ſibi vult, quòd Africani Episcopi ſint ſolummodò deprecato Cæleſtinum, ne facilius (non abſolute ac omnimodè) admittat *Transmarinorum ad Sedem ſuam recurſus*? Num hi ipſi fortalliſ Antiftites in quinto Nicæni Concilij Canone animadvertēbant, dum in hoc extat ſtatutum, ne, qui abſciantur, ſeu excommunicantur, ab alijs recipiantur; per vocem ab alijs (ſimilium ſcilicet repetitivam) illo Decreto Nicæno non imponi legem ſupereminentiore Apoſtolice Sedis authoritati, ſed ſuppari duntaxat poteſtati, ita ut Episcopo nefas ſit, ab altero Episcopo, & à fortiore, à Synodo Provincia- li excommunicatum recipere? veluti aperte ſonat ſexti quoque Nicæni Canonis littera.

Quid tuſus ſibi quid vult, quòd in eodem Aurelij Pulchri, aliorumque fortalliſ Africanorum Episcoporum epiftolâ expreſſè dicatur, Concilij Nicæni Decreto videri e- quidem de Clericis Episcopo inferioribus, vel Laicis præcavere, voluiſſe tamen hoc de Episcopis eatenus obſervari, ne in ſua Provincia ſuſpenſi, præproperè ac indebitè reſtituantur communioni? Quia porro ipſiſſimis verbis iſti Africani Episcopi expreſſè fatentur & licet-ram

ram præducti Nicæni Canonis non completi Episcopos, sed Clericos hinc inferiores, attamen Decretum istud ex ejusdem Synodi mente extendendum esse etiam ad Episcopos, ne si isti in sua Provincia fuerint à communioni suspensi, præpropere vel indebitè per Romanum Pontificem communioni restituantur, nonquid dicendum est, per hujusmodi restrictivas voculas, non tam recursus ad Romanum Pontificem interdicti, quàm Concilij Nicæni insinuationem exprimi, ne sub illis recursibus per præpropere & indebitum iudicium fiat transgressio limitum, ipso etiam naturæ iure requisitorum ad iudicarij processûs substantiam?

56. Dum præterea in prætaetis Africanorum Præsulum litteris supplicatur Romano Pontifici, ut repellat Presbyterorum ac subsecquentium Clericorum improba refugia, tum quod nullâ Patrum definitione hoc derogatum sit Ecclesiæ Africanæ, tum quod Nicæna Decreta, si-ve inferioris, si-ve superioris gradûs Clericos, si-ve ipsos Episcopos apertè commiserint Metropolitanis.

57. Num quia iuxta apertam Africanorum confessionem, VI. Concilij Nicæni interdicta refugia non nisi Presbyteros ac subsecquentes Clericos complectuntur, fas erat, ejusmodi interdictum ad ipsos etiam Episcopos extendere? Quo etiam posito, minimè tamen concessio, dum secunda Generalis Synodus Can. 2. omnem rerum Ecclesiasticarum administrationem Synodo Provincie iuxta Concilij Nicæni Decretum, asserit commissum, num dicere fas est, hanc Synodo Provincie commissam administrationem privativè ad sublimiorem etiam auctoritatem demandari, ut ne ad Oecumenicum quidem Concilium superesse possit recursus? Quod uti negabit Ellicius, ita fateri debet, ex tali Canonè non intelligi exclusum Apostolicæ auctoritatis sublimius iudicium.

58. Ethinc dum in ipsdem Africanorum litteris subditur, Decreta Nicæna ipsos etiam Episcopos apertissimè committere Metropolitanis, num dicere fas est, hanc commisionem ad sublimiorem potestatis quæcunque tribunalia recursus per ipsam etiam rei naturam gravatis concessos interdicerè? Quantumvis enim iustissimè ac prudentissimè sit provilum, ut quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finiantur, ipsissimè tamen illæ Africanæ litteræ disertis verbis asserunt, unicuique concessum esse, si iudicio Cognitorum fuerit offensus, posse ad Concilia suæ Provincie, vel etiam Universale provocare. Quid ni ergo sit æquè concessum, ad Apostolicæ Sedis auctoritatem Concilio Provinciali superiorem, & Synodo universali haud inferiorem provocare? Sicuti enim Concilium Universale non in eo statim loco, ubi negotium cœpit, celebrari potest, sic perinde, ac in causâ Cælestij faciebat Africanæ Provincie Synodus, ad Romanum Pontificem mitti poterant acta, per quæ integer causæ status valeat dijudicari. Nullum ergo illis Africanorum Episcoporum litteris solidioris rationis argumentum adduci potest, per quod Episcoporum ad Romanam Sedem appellationes expugnentur.

59. Sed pro sexto pergir Ellicius, Africanos Episcopos rogasse Pontificem, ne fumosum sæculi typum in Ecclesiam inducat, mittendo executores Clericos.

60. At quis sit iste mundi fumosus typus, constat ex S. Augustini Epist. 161. Nempe cum Antonius Fussatensis Episcopus ab Episcopis Africanis ad Romanum Pontificem appellasset, causam quæ suam ibi egisset, rumor sparsus fuerat, de ipso per publicam militaris manûs à Pontifice submittendæ potestatem restituendo. Quam proinde militarem manum ceu fumosum (ut Concilium Carthaginense ad Cælestinum Papam scripsit) si-ve tanquam violentum (ut Augustinus citatus scribebat) inter fratres dominatum deprecabantur Episcopi Africani. At ex hoc ipso clarè constat, jus appellationis ad Romanam Sedem non fuisse vocatum in dubium, sed de executionis modo (quem rumor publicus prædicebat) habitum fuisse recursum ad illius Sedis Pontificem.

61. Ad præsens intentum nostrum ulterius firmandum, pro septimo faciunt antiquissima appellationum ad Romanum Pontificem exempla, quorum in præcitata Divi Augustini Epistola sit rememoratio. Existunt (inquit hic sanctæ Ecclesiæ Doctor) exempla, ipsâ Sede Apostolica iudicante, vel aliorum exempla firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Episcopali spoliatis honore, nec relictos omnimodis impunitos, quæ ut à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus Provincia Casariensis, & clamet alius ejusdem Provincie Victor, & clamet tertius eiusdem Provincie Laurentius &c.

62. Sed hoc Divi Augustini tam disertum testimonium elidere nititur Ellicius præf. pag. 184. dicendo, hæc oratorio more, & ad captandam Cælestini gratiam, fuisse scripta, quam ob causam Augustinum minimè commemorare antiqua exempla, sed tantum recentia, quæ nihil sibi obliunt, cum eo contigerint tempore, quo fiebat conquisitio Græcorum exemplarium Nicæni Concilij, ad videndum, an Canon à Legatis Pontificijs allegatus, verè sancitus esset à dictâ Nicænâ Synodo.

63. Verùm idem Ellicius meminisse hæc debuerat, quod pag. 178. scripserat, non diu, post illam conditionem, (quâ Africani promiserant, se appellationibus ad Romanam Sedem delaturos, usque dum ex Græciâ afferrentur Nicæni Concilij exemplaria) nempe eodem adhuc anno à Græcis Antistitibus fuisse in Africam transmissa illa exemplaria. Quomodo igitur dicere fas fuit, intra tam breve intervallum contigisse universa illa recentia appellationum à Divo Augustino ad suum de Fussatensi Episcopo iudicium firmandum recentia exempla? Quod verò de isthoc sanctæ Ecclesiæ Doctore dictum fuit, ac si oratorio tantum more, ad captandam Cælestini gratiam, locutus fuisset in rememorandis antiquis appellationum ad Sedem Romanam exemplis, videtur exceptio hæc proflus indigna Doctore Theologiæ Parisiensis Facultatis.

S. IV.

Nonnulla tum Gallicanorum, tum aliorum Occidentis, imò & Orientis Episcoporum exempla examinantur.

64. **P**rimò. Ad autoritatis Apostolicæ circa Episcopos etiam Gallicanos iudicia ab exemplis comprobanda allegatur, quòd Zosimus Pontifex causâ Proculi Massiliensis cognitionem ad se traxerit, ac de Episcopatu deijciendum iudicaverit ad instantiam Patrocli Arelatensis. At Elliesius *presert. Dissert. 2. pag. 200.* excipit, tum quòd per istud primæ circa Episcopi causam cognitionis exemplum, noscatur Zosimus, violasse Sardicenis Concilij sanctiones: tum quòd nec Proculus, nec Episcopi Gallicani paruerint sententiæ Pontificis, sed ille retinuerit suam Sedem, hi verò causam ejus probaverint, veluti probet Quenellius *Dissert. 5. apologet. pro S. Hilario.*
65. Verùm in antecedentibus demonstravimus, dum Concilium Sardicense primam causæ Episcoporum cognitionem tribuit cujusque Provinciæ Synodo, non posse hoc intelligi privativè ad supereminentem, præcipuè Apostolicæ Sedis, aut Concilij Occumenci autoritatem. Etto verò Proculum ad Romani Pontificis tribunal, quò vocabatur, non accessisse, prout Elliesius ex epistolâ Zosimi ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis probare contendit: num isthæ Proculi contumacia elidere poterit autoritatem Apostolicam super quocunque in Regnum Cælorum ordinabili, forum quoque externum attinente, moralis, omnique adeò fori Ecclesiastici causâ vi juris Divini protensam? Et hinc, si verum esset, quòd is Parisiensis Doctor iteratò respuit, ac si Episcopi Gallicani depositionem Proculi à Zosimo factam non habuerint ratam, noscerentur hinc, in ipsam à Christo constitutam, & Petri successori destinatam autoritatem Apostolicam impigisse: quamquam hanc notam immeritò ipsis inurat Quenellius, asseverando, quos Zosimus in epistolâ ad Massilienses vocat inquietæ mentis homines, Proculi damnati fautores fuisse (indifferenter) Gallicanos Episcopos, non attentâ etiam eâ turpitudine, de quâ postmodum etiam Cælestinus Papa in epist. ad Episcopos Provinciæ Viennensis & Narbonensis eum conquestus, quòd scilicet consensisset in necem fratris sui à Tribuno quodam Barbaro factam ad iussionem occultam; uti Prosper scribat.
66. *Secundò.* Ipsomet Elliesio pag. 203. fatente, Valentinos Clericos rectâ Romanum Pontificem adiisse, & suum Episcopum apud illum accusasse; quamvis causâ semper fuerit à Pontificibus remissa ad Synodum Provinciæ. Excipit equidem is Parisiensis Theologus, tum quòd ille ad Romanam Sedem recursus factus sit ex occasione contentions inter Episcopos Narbonensis Provinciæ tunc vigentis: attamen hoc ipsum probat, Valentini Cleri de Romanæ Sedis autoritate cunctis Narbonensis Provinciæ Episcopis supereminente sensum.
67. Tum quòd illa ad Synodum Provinciæ remis-

sio non fuerit à Pontifice facta per modum delegationis. At nunquid causâ à superiori Tribunali ad inferiores remissio, hoc ipso denotat illius autoritatem huic supereminentem, si præcipuè fiat per modum Decreti, quemadmodum fecerat, *Decrevimus, inquit, vestrum debere intrâ Provinciam esse iudicium.*

Instituto presentis satis inservit protertio causa inter Celidonium & Hilarium Arelatensem à Romano Pontifice discussa & iudicata, cujus summaria ex Elliesio pag. 204. delumpta relatio ita se habet: Nempe Hilarius Arelatensis Metropolita Ecclesiæ Viennensis Provinciæ sibi subditas prætendens, instigat Episcoporum Synodo, Celidonium ejus Provinciæ Episcopum varijs ex causis Episcopatu deiecit.

Celidonius igitur in Synodo damnatus, ad Leonem Pontificem contendit, ibique conquestus est, se injusto rigore damnatum, quem Romam usque secutus Hilarius talem exposuit querelam, quòd nempe aliqui apud Gallias publicam meritò excipientes sententiam, in urbe sacris altaribus interessent: Præter insinuando, se ad officia, non ad causam remisse, protestandi, non accusandi, ac iusque suggerendi obne. Cujusmodi tamen protestatione non contentâ, Leo absolvit Celidonium, ac restituit, talem serendo, ac litteris ad Gallos Episcopos insinuando sententiam, per quam tum Celidonius fuit absolutus, quoniam præterea etiam Hilario manifestâ restitui responso demonstraverat, se injustè fuisse Sacerdotio dejectum: tum Hilarius fuit Provinciæ Viennensis, quam malè usurpaverat, potestatem privatus, factâ eidem inhibitione, ne ulterius audeat Convenus iudicare Synodales, & Sacerdotum Domini iudicia turbare. Hæc igitur per ipsum met Elliesij calamum recensita Leonis Papæ acta manifestissimum præferunt exemplum Apostolicæ super Episcoporum causâ autoritatis: de qua idem Pontifex in *insinuatâ epistolâ* ulteriora proferens argumta; Nobiscum (scribebat ad Gallicanos Antistites) *vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reverentiâ, à vestra Provinciæ sacerdotibus esse consultam, & per diversarum, quam admodum vetus consuetudo posebat, appellatum causarum, aut retractata, aut confirmata esse iudicia.*

Unde quas Leo consultationes ac relationes tam apertè distinguit ab appellationibus, immeritò eas confundendo Elliesius *presert. pag. 205.* non nisi per manifestam injuriam Leoni impingit isthanc consulationem, eâ etiam ex parte graviter redarguendâ, quòd pag. 205. post medium sanctum Leonem coarguat, ac si in causa Celidonij multis modis peccasset in Canones Sardicenses, cujusmodi tamen redargutiones facili evanescent, re-meritatique evincuntur ex his, quæ circa illos Canones in antecedentibus multatariis sunt à nobis deducta.

Quartò. Elliesius pag. 210. affirmat insuper, sub Innocentij Pontificatu Bubalium & Taurianum damnatos in Illyrico, ad Pontificem hunc confugisse, & licet causâ illorum ab eo retracta,

retractata, iterum fuerint damnati, ægrè tamē istud Innocentij factum tulisse Illyricos, ac per litteras bis apud ipsum conquestos esse; quibus proinde querimonijs, ut fatisceret Innocentius, non specialem Sedis sue prærogativam, nec Sardicenses Canones in medium protulisse, sed dicere tantum, grave videri non debere Episcopis, si iudicium suum ab alijs retractetur, cum veritas inde magis elucescat. Ex quo equidem Pontificis responso is Theologus Parisiensis enervare nititur appellationem, & in causis Ecclesiasticis iudiciorum jura Pontificia. Quia tamen ipsissimum illud Innocentij responsum inculenter supponit auctoritatem retractandi iudicia ab alicujus Provincia Episcopis lata, nequit nisi per summam ineptiam exinde impugnari tale jus Pontificum, quod usus & praxis tam manifestè præfert.

Hic superaddi possent appellationem ex Illyrico exempla, desumpta ex epistolis Pontificum, recitatis in actis Concilij Romani sub Bonifacio II. Anno 431. Quibus tamen supersedeo, partim quia Elliesius, nullo licet solido fundamento nixus, ait, ea utpote ex Bibliothecæ Barbarinæ Manuscripto novissimè edita, in dubium à nonnullis vocari: nolo autem in ijs, quæ meri facti sunt, contentionem aliquam hic intrare: partim quia dum ille ipse Theologus ea exempla referendo, ac enervare conando, talia præbet Apostolicæ in Papæ Synodis Provincialibus supereminētis auctoritatis argumenta, Imperatoris etiam relictis illi ad stipulantibus, ut, quod refutationis loco assumit, apertam nostræ causæ probationem facere, ipsemet Elliesianæ præsentis pagine 210. usque ad 213. Lector facile animadvertere possit.

Quintò. Ab Occidente in Orientem regredienti occurrunt mihi causæ Eutyichis, Theodori, ac Flaviani. Etenim Eutyches (ut Elliesij sumarijs verbis solummodò utar) cum in Synodo Constantinopolitana damnatus esset à Flaviano, quasi cum Apollinari sentiens, ad sententiam in se latam devitandam (secretò licet) appellavit ad Concilium Romani, Alexandrini, Hierosolymitani, & Thessalonicensis Episcopi. Ubi verò Eutyches viderat, nullam suæ appellationis haberi rationem, querimoniæ de communione sibi adempta libellum misit ad Leonem. Quo libello querimoniæ accepto, Leo ad Flavianum & Theodosium epist. 20. & 21. scripsit, conquerendo, quòd Flavianus nihil ad se retulisset de iudicio in Eutychem lato, nec ullam appellationis ejus habuerit rationem, petijtque, ut de criminibus Eutychi objectis instruat, ad finem iudicandi de cognitis. Hinc Flavianus Leoni rescripsit, Eutychem ob Valentini & Apollinaris errores fuisse damnatum, ipsaque in eum acta transmisit, ut Leo hoc cognoscens, illius impietatem omnibus Episcopis manifestaret, atque per suas litteras heresin, quæ surrexerat, in tantum destrueret, ne opus esset Concilio, quod divulgabatur indicendum. At Leo Synodum haud ingratam fore arbitratus, scripsit ad Impera-

torem de eà intra Italiam convocandà: quamquam Imperator jam prius, quàm eas Leonis litteras acceperat, Synodum indixerit.

Quibus juxta Elliesij relationem taliter constitutis, supposito in primis, quòd Flavianus appellationem Eutyichis, utpote secretò, absque debitâ proinde Juris formâ factam vel ignorârit, vel non attenderit, liquet tamen ex actis, Eutychem post primæ suæ appellationis suppressionem ad solum Romanum Pontificem provocasse, sanctumque Leonem, ubi appellationis ad se factæ nulla habebatur ratio, eà cum efficacità fuisse conquestum Flaviano, ut hic etiam acta transfereat, heresisque surgentis reprimendæ præpotens patrocinium quaesierit ex Apostolicâ illius auctoritate in tantum prævalitorâ, ut Concilij indictio non videretur ulterius necessaria. An non igitur clara hinc elucet argumenta Apostolicæ in Papæ auctoritatis Concilio solum Constantinopolitano, à quo Eutyches fuerat damnatus, in tantum supereminētis, ut Flavianus transmitteret iudicij acta, Leonisque cognitioni causam committens, heresim refectionem ex ejus quaereret Apostolicis litteris? Nec obstat, quòd S. Leo prælegerit Concilij Oecumenici convocationem, tum quia illius quoque auctoritas subsistere debebat ex Vicario Christi, proprio Papæ characteret: tum quia turbatum juxta Flaviani litteras non modicè jam prævalentium ratio, ipsomet etiam Imperatore ad Eutychem partes aequaliter inclinato, efficacius exposcebat remediùm ex Concilio Oecumenico substitutum sub Capite Christi Vicariè representantis, unâ & Hierarchiei Ecclesiæ Corporis auctoritativo consensu.

Sextò. Flavianus postea in Synodo Ephesina, quæ latrocinium dicitur ob Dioscori & Eutychem fautorum violentias, cum esset injustè damnatus, ubi sententiam in se à Dioscoro pronuntiatam audiverat, fertur juxta Elliesij pag. 218. relationem, dixisse, *recuso te*. Cujus tamen reculationis nullâ habitâ ratione, cum nihil reliquum sibi videret, libellum appellationis dedisse Legatis, veluti ipsemet Leo testatur. Ex ejus insuper epistolis 41. 42. & 45. liquet, quòd Leo admisit appellationem Flaviani, ipsamque revestierit Episcopatu, firmavitque in Episcopali ad omnes Ecclesias communione, atque illius appellationi dedit effectum suspensivum. Quantumvis ergo Elliesius nitatur, hæc enervare dicendo, Leonem non speciale tulisse iudicium, sed quæ per vim & contra jus erant gesta, poposcit à Theodosio epist. 4. ut omnia in eo statu esse juberet, in quo fuerant ante omne iudicium. Nihilominus illius Elliesianæ exceptionis infirmitas vel cæco extat manifesta. Quomodo enim, nisi Apostolica in Leone potestas præmineret, Flavianum Episcopatu revestire, eumque in Episcopali ad omnes Ecclesias communione firmare valisset: iudicij quoque sui de cunctis in statum pristinum, in quo fuerant ante Ephesinum latrocinium, restituendis, executionem præpotentem efflagitando ab ipsius etiam Theodosij seculari brachio?

Septimò

Septimò. Theodoretus Episcopus Cypri in Synodo Ephesinâ Diocori pariter damnatus juxta relationem Elliesij à pag. 223. ad Leonem Pontificem scribebat in hæc verba: *Ante omnia rogo, ut sciam à vobis, an injusta huic depositioni oporteat acquiescere, an non, vestram enim exspecto sententiam, ut si judicatis, me stare debere assertis, stabo.* An non igitur Theodoretus hinc noscitur efflagitasse Romani Pontificis sententiam super judicatis à Concilio Ephesini latrocinij?

76. In hunc planè scopum collimat, quod in Epistolâ eiusdem Theodoretii eodem tempore ad Renatum Romanum scriptâ habetur sub hisce verbis. *Hæc igitur de causâ tuam oro Sanctitatem, ut persuadeas sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo, ut apostolicâ utatur autoritate, & præcipiat ad vestrum convocare Concilium.* Quæ profectò nimis remota sunt à Glosâ Elliesij, hæc & alia Theodoretii verba, quibus petebat, ut *sublimitas Apostolicæ autoritatis rectè institutis finem imponat, in tantum contorquentis, ac si is Episcopus à Leone consilium duntaxat & opem implorâset, petendo intereâ ab Imperatoribus, ut in Concilio Occidentalium judicaretur.* Numquid enim istud Occidentalium Concilium absq; Apostolicæ Pontificiæ autoritatis caractere subsistere, ac prævalere potuisset Orientaliû Ephesino Concilio? Subjungere hic liceret, quæ Elliesius refert ex manuscripto Codice Cardinalis Casanatæ, quia tamen quoad plures facti circumstantias, oporteret, cum dicto Theologo contendere, quod à meo intento alienum superius dicebam: idcirco ea exempla impræsentiarum prætermitto.

77. Oðavò. Ioannes Talaia Patriarcha Alexandrinus per Petrum Mongum, consentiente Acacio Constantinopolitano, Episcopatu turbatus, acceptis à Calendione Antiocheno intercessionis litteris, appellavit ad Romanum Pontificem Simplicium, cujus successor Clemens per Legatos petijt ab Imperatore, ut Petrus Mongus propterea exturbaretur, & Acacius Romam mitteretur, ad dicendam causam citandus, ni spontè veller eò proficisci. Illi verò Legati, quia isthoc mandatum non fuerant executi, sed cum Acacio communicaverant, atque Petri nomen in Dypticis publicè recitari permisserant, à communione suspensi sunt à Romanâ Synodo tunc celebratâ, fuitque excommunicationis sententia lata in Acacium, quæ tamen in Oriente effectum non fortiebatur.

78. Ex quibus infert Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus, in causis Fidei ad Romanum Episcopum appellari posse etiam ab Orientis Synodis. At Elliesius præf. pag. 229. excipit adversus illam Petri de Marca illationem, tum quòd nullum in Joannem Alexandrinum fuerit latum iudicium, à quo appellare potuisset: unde quando Liberatus dicit, eum appellasse, improprie id accipiendum esse, quatenus ab injustâ sui vexatione confugit ad Sedem Apostolicam pro ope implorandâ. Et licet Pontifex Romanus Joannis restituendi & Acacij ad cau-

sam dicendam evocandi jus, secundùm Canones Sardicenses sibi vindicârît, minime tamen ex hoc probari, Orientales jus istud detulisse Pontifici. Tum quòd non solus Papa, sed in Synodo Occidentalium judicaverit, Talaia causam, quæ ex utriusque partis consensu devolvebatur, teste Gelasio in epist. 13. asseverante, *Acacium & Imperatorem promississe Legatis, eam causam Sedi Apostolicæ esse referendam.*

Verùm mi Elliesi, vel hinc advertere debuisses, quanta autoritatis Apostolicæ in Papâ fuerit ab Imperatore & Acacio habita ratio, ut promitterent, causam illam Sedi Apostolicæ reservandam esse. Nunquid ergo Acacius huic suæ promissioni defuit, cum unâ cum alijs Orientalibus causam illam secundùm Sardicenses Canones à Pontifice Romano judicatam, non probavit? Num ergo Orientalium quorundam contumacia in reprobando illo Pontificis iudicio, ab Elliesio justè allegatur ad extenuandam Papæ autoritatem, à Sardicensi etiam Concilio non ex proprio Patrum cerebro, sed ex sacri (vix aliàs probatum est) Evangelij Oraculis Divinis agnitam? Sed quâ fronte prædictus Parisiensis Theologus negat, Nestorij causam confirmare Marcæ Archiepiscopi Parisiensis superius adductam sententiam, eò quòd Cælestinus Papa non ad se traxerit primam causâ Nestorij cognitionem, sed quòd ipse Nestorius & Cyrillus causam hanc detulerint ad Cælestinum? Ex quo namque alio fundamento Cyrillus, unâ cum Nestorio, ceffuit, eam causam esse deferendam ad Romanum Pontificem, nisi quòd scirent, in hoc supereminere Apostolicam super fidei causis dijudicandis autoritatem? Nec obest, Cælestinum in Synodo Romæ tunc celebratâ, fecisse ejus causæ discussionem, cum neque istius autoritas subsistere valuisset absque vicario Christi caractere Papæ proprio. De reliquo ipsum Lectorem requiro, ut ceteris Elliesij adversus alia nonnulla exempla exceptiones, brevitatè causâ hic omittas pervolvât, ipse namque in ejusmodi Elliesianis oppositionibus reperiet insignia Pontificiæ supereminentis autoritatis argumenta.

Nondè denique præf. Dissert. 2. §. ultimo spontè fatetur Elliesius, in Occidente post quintum sæculum appellationum ad Romanos Pontificum usum invaluisse: quamvis nonnulli extant appellationum ejusmodi vel rejectarum, vel non in malito pretio habitatum exempla. Numquid verò ille usus prævalere potuisset, nisi ex solidioribus fundamentis agnita fuisset Sedis Apostolicæ supereminens autoritas? Numquid vel rejectio, vel improbatio appellationum in iudice ad quem supponit potestatem autoritativam, vel reprobandi, vel recipiendi, justitiâ ita exigente, appellationes ad se delatas? uti factum esse in Pauli Archiepiscopi Cretenfis appellatione, testatur dictus Parisiensis Theologus, Romano Pontifice judicante, esse inconvenientem. Num juri autoritatis Apostolicæ derogare valuit, quam refert Elliesius quorundam Gallorum proterviti-

dum Contumeliosus Rejenſis à Caſarij Arc-
latenſis ſententiâ provocans ad Pontificem ,
appellatione pendente, fuit ſpoliatus Epifco-
patus, ipſo tamen Romano Pontifice Agape-
to hoc præjudicium reprobante ? Num pa-
riter juri Pontificio derogare potuit, quòd Sa-
lonius Ebreundenſis & Sagittarius Vapincenſis
in Concilio Lugdunenſi Anno 567. deiecit, cum
bonâ etiam Regis veniâ Romam appellan-
tes, nullo Epifcoporum Gallicanorum, qui
reos acularer, comparente, Ioannis III. li-
teris, Regiſque per has implorato brachio
reſtituti, minùs grati fuerint nonnullis Gal-
licanis Præfulibus, Victorem Epifcopum eor-
um antehac accuſatorem, quòd in gratiam
& communionem cum ipſis rediſſet, propte-
rea ſuſpendentibus à communione ? Num ex
hoc, quòd aliqui Epifcopi in Synodis Galli-
canis deieſti non provocarint ad Sedem A-
poſtolicam, hujus capropter ſupereminenti
authoritati præjudicium fieri potuit ? Num
ex eo, quòd nonnulli quandoque Epifcopi
Gallicani nullam appellationum ad Roma-
nos Pontifices habuerint rationem, inferre
fas eſt, juris ejuſmodi in Apoſtolicâ Sede
nullitatem ?

EPILOGUS.

81. Quæ Elieſius in præf. Diſſertat. 2. Epilogo
reſſumit, cum pateant ſufficienter jam
diſcuſſa ex anterioribus, ſuperſtuum duximus,
impræſertimurum ijs innotari. Unum tam-
en diſcuſſione digniſſimum hæc occurrit,
quòd idem Theologus pag. 239. n. 5. ſtatuit
principium, in hæc diſſerens verba : Cum om-
nes Epifcopi unum ac ſolium habeant Epif-
copatum, ad ſingulos eorum ſpectat, laboran-
ti Eccleſiâ in gravi neceſſitate ſuccurrere in
quavis mundi parte. Tunc enim omnes Epif-
copi ſunt quodammodo fidei, & Canonum
vindices, quando vident, periculum eſſe, ne
aut fides detrimentum capiat, aut leges Eccle-
ſiaſtica violenter, nec debent ſtare legnes &
ocioſi, ſed omnibus modis laborare eos oportet,
ut fides in tuto ſit, utque Canones obler-
ventur. Hujus ſententiæ author eſt Cyprianus,
qui multis in occaſionibus eam ſecutus eſt.

82. Addit deinde, Romanam Eccleſiam mi-
nimè moram invidia fuiſſe, quòd alij Epifco-
pi Eccleſijs omnibus invigilarent, imò eos
ad id faciendum invitâſſe. Docet id Clerus
Romanus ſcribens ad Cyprianum de Privato
Lambelitano : Omnes enim, inquit, nos decet,
pro corpore totius Eccleſiæ, cujus per varias quaſ-
que Provincias membra diſgeſta ſunt, excubare. Et
Celeſtinus in Epifſula ad Synodum Ephesinam :
Hæc ad omnes, inquit, in communi Domini Sa-
cerdotes mandata prædicationis cura pervenit,
hereditarij in hæc ſollicitudinem jure conſtringi-
mur, quicumque per diverſa terrarum loca Apoſta-
lorum vice nomen Domini prædicamus, dum illis
diſtur, ite, docete omnes gentes, advertere de-
bet veſtra fraternitas, quia accepimus generale
mandatum, & omnes id nos agere voluit, quibus in
commune mandavit officium, necelle eſt, ut compa-
renter noſtros ſequamur auctores.

83. Concludit denique, Tameſi ad omnes
Epifcopos totius Eccleſiæ cura quodammodo
pertineat, omneſque teneantur laboran-
ti Eccleſiâ ſuccurrere; agnoſcendum tamen
eſſe, id præſtanti quadam ratione primæ Se-
dis Epifcopo competere. Nam ſi in qualibet
ſocietate, qui in eâ Princeps eſt, maxime tene-
tur invigilare, ne quid illa detrimenti capiat.
Quis æquus rerum arbiter negare poſſit,
quin præ cæteris ad Romanam Epifcopum,
qui Primæ ac Maximæ ſedi præſt, pertineat,
in illud ſedulo incumbere, ut ab omnibus
omniño Chriſtianiſ fides ilibata cuſtodiatur,
utque Canones ubique obſerventur. Hoc
ſenſu intelligendum videtur illud Gregorij,
cunctos Chriſtianos, ubi peccant, Sedis Apoſtolicæ
correctioni ſubjectos eſſe. Hoc ego Romani E-
pifcopi privilegium non ſecus ac ejus Prima-
tum conſtanter teneo, & ſi quid adverſus illud
mihi in iſtis diſſertationibus exciderit, quod
tamen factum eſſe, non arbitror, illud pro
dicto haberi nolo, & ſi quis oſtenderit, pa-
ratus ſum emendare.

84. Huic triplici Elieſianæ aſſertioni ex Pal-
lavieno lib. 6. hiſtorie Concil. Tridentini cap. 3.
repono inprimis Eccleſiæ ſacram à perſido
Suavi Polano conſectam. Hieroſolymitanæ
Synodi exemplo, inquit, Epifcopi ſubſecu-
ti exiſtimabant, cunctas Chriſtianorum Eccleſias
unam eſſe, Epifcopos verò ita pariter in unum co-
leſcere, ut ex eo quilibet unam partem obtineret,
non veluti propriam, ſed ut omnes to unum regerent,
ſingulis tamen magis in eâ regendâ occupatis pecu-
liariter ſue cura demandatâ, ſicuti ſanctus Cy-
prianus in aureo libello de unitate Eccleſiæ de-
monſtrat.

85. Adverſus quod proinde commentum
Suavianum, Cardinalis præcatus pro ſecundo
ita progreditur, Hic homo, ſi verba faceret
apud Sinas, noſtrarum rerum ignaros, poſſet
facile ſibi fidem invenire; & fortaiſe inve-
niret apud nonnullum, qui alicujus politi-
cæ calliditatis peritus, ſimulque expertus con-
ditionis Eccleſiaſtica, legerit Suavis hiſto-
riam, impuſus rerum politicarum aviditate;
ſed ex Eccleſiaſticis eas, tamquam indu-
bitatas recipiat, quas ibi cernit enarratas ceu
manifeſtas. Quamquam veriùs quicumque
rerum civilium prudens æſtimator numquam
putabit, poſſe re ipſâ conſtitui hujusmodi
Republicam ex Platonicis formis, ut ſic
loquar, exſectam; & hæc non in unica tan-
tùm civitate, uti Plato conſtituit ipſius indi-
viduum dominatum, ſed in totius Eccleſiæ
amplitude. De cætero, volebat etiam il-
le Philoſophus, uti peculiaris curæ inter va-
rios adminiſtratores, poſſeſſores ac magiſtra-
tus partirentur, ut fuſius explicat in decem
ſuis de Republica libris. Et tamen hujusmo-
di Republica perſpicuis planè rationibus re-
ſellitur ab Ariſtotele, qui alioquin in poli-
ticis diſciplinis magiſtrum sæpe laudat, ac
ſequitur. Multò magis eadem ab experien-
tia reſellitur, cum exploratum ſit, in tantâ
gubernationum varietate, ſive rectè, ſive
perperam inſtituta fuerit, numquam videri
uſurpatum id, quod à tam ingni Philoſopho
S S I non

non modò commendatum legitur, sed planè delineatum. Ad rem accedamus. Quid, quæso, agebatur, cùm alicui peculiari Diocesi deerat Episcopalis muneris administrator? Num opus erat, extemplò reliquos Episcopos convocare ex cunctis terrarum Orbis provincijs, qui successorem sufficerent? At hoc perinde fuisset, ac ad itinera perpetua Præsules cogere, desertis sibi commissis Ecclesijs. An id muneris in priùs occupantem deveniebat, sive idoneum, sive ineptum? At quæ forma regiminis magis deformis, magisque fortuita?

36. Perge pro tertio: Si tota iurisdicção in unoquoque sita erat, unicuique igitur licebat, quocunque mallet, pergere, & ovilis alieni Pastorem agere, doctrinas tradere, controversias dijudicare, & moderari subditorum animos pro arbitrato. Animadvertit ex se quisque, designatum in his pauculis verbis turbarum chaos, ad quas evitandas, unaquæque Respublica varias causarum rationes distribuit varijs Magistratibus, varias oppidorum classes varijs moderatoribus, varias militum legiones varijs Ducibus, numquam admittit ea potestate singulorum in totum, ut proinde, ubi discordia inter illos contingeret, ignorarent subditi, cuiam jure obtemperandum.

37. At quarto obtrudit Suavis Charitatis fervorem in Ecclesia primæva cuncta diffidia longè remotentem. Bene est. Hinc igitur idem concedat, cùm Deus voluerit ad posteriora tempora divinitus deducere hanc excellentiam charitatis, defensionisque, supra modum conditionis humanæ, noluisse pariter eam formam Episcopatus indistincti protrahere: adeoque per consecutionem fateatur, Episcopatum distinctionem esse de jure Divino: cùm certè Christus haud præscripsit Ecclesiæ suæ regimen pro eo solùm brevi statu, naturæ vim superante, sed pro alio naturæ consentaneo, longè, si numerentur sæcula, diuturniore; si cultores, ampliore. Hæc ad confutationem satis; sed non satis ad veritatem. Eam individuum concordiam, & exquisitam sanctimoniam priorum fidelium liceret quidem Suavi aniculis persuadere, non item Latine linguæ tantum scienti, quantum sacris Ordinibus suscipiendis sufficit. S. Pauli Epistolæ clarâ voce invehunt in enormissima scelera, & inter reliqua, in schismata, seditionesque, per ea Respublicæ Christianæ primordia. Cujus certa testimonia voluit Deus in Scripturis à se dictatis nobis relinquere, ne ceniores sui temporis, ac veteris laudatores, opinionem insinuent, quæ credatur vera Jesu Christi Sponsa, non esse Ecclesia membris tam deformatis compacta, quam ea, quæ in Catholico corpore deprehenditur. Quid si hæc nascenti Ecclesiæ evenere, quid jam dicendum de subsecutis temporibus usque ad ætatem S. Cypriani, qui de Suavis sententiâ nos edocet, tamquam etiam tum perseverantem eam individuum Episcoporum iurisdictionem? Numquid ille non desinet in eodem aureo libello lamentaria eorum dif-

fidia, qui Ecclesiam administrabant? Nonne scitent historia Ecclesiasticæ dissensionibus nocentis exempli vel inter Christi Athletas, qui in dies singulos carnificinam sui corporis in vinculis præstolabantur?

Hæc profectò rationes (pro quinto) argumentatione convincente consiciunt, huiusmodi regimen Ecclesiasticum, cuiusmodi nobis objectat tamquam pro certo ponendum Suavis, & nititur fusè persuadere Salmasius, illi & arrogantia & ignorantia par, monstrum esse ex partibus infociabilibus confectum: sed cùm commune sit adagium, ad evincendum litem plus valere drachmam unam facti, quam multas libras juris, operæpretium est, probatis etiam testimoniis ostendere, quod hi affirmant, vanum esse commentum. Hic non vacat pro eo ac fit in iudiciorum questionibus, plures producere; unus satis mihi sit antiquissimus inter Patres, qui aliquem ex Apostolorum discipulis novit, sanctus, inquam, Irenæus. Hic eos redarguens, qui docebant adversus, quam habetur ex traditione Apostolicâ, in Ecclesijs, quibus Episcopos primò constituerunt Apostoli, & alij postea illis successi, seric haud interroptâ, scribit: *Sed quoniam valde longum est, hoc volumine omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognite, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum perventem usque ad nos indicantes, confundimus omnia.* Mox refert, à duobus Apostolis fuisse traditam Romanæ Ecclesiæ administrationem Lino & Anacleto, vel Cleto, ut alij legunt, quos ambos dubium pariter est, an intelligit Irenæus, fuisse à Petro & Paulo electos, ut futuros Romani Pontificis successores, ubi Sedes vacasset; an uti functionum curatores, dum ipsi absissent. Postea enumerat Clementem ac deinceps alium ex alio, ad suam usque ætatem; atque huiusmodi monumenta dicis, servari in aliarum Ecclesiarum tabularijs, nominatim verò in Smirnenſi, ubi Polycarpus sibi notus, fuit impositus à S. Ioanne. Idem affirmat Tertullianus, non admodum Irenæo posterior in libro de præscriptionibus. Idem pro certo posuit S. Augustinus Epistolâ 165. & cap. 40. in Epistolam Fundamenti. Idem cuncti reliqui Patres, quos adversus Salmasium eruditè congessit Dionysius Petavius lib. 1. de Hierarchia Ecclesiastica.

Pro sexto equidem Suavis ad suum intentum contorquet testimonium S. Cypriani in laudato libello, quem ipse meritò *aureum* appellat, de Unitate Ecclesiæ. Equidem miror Suavis confidentiam, audentis ante oculos ponere aurum illud, cui collarum, statim spurium deprehenditur, quiquid constat ipsius fornacula. Libellus ille, quantus est, totus est in comprobanda unitate Fidei apud Ecclesiam, arguendisque sceleratis ac perditis eorum animis, qui ab hac unitate secedant. Hinc, ait, hæreses & factæ sunt frequenter, & sunt, cum perversa mens non habet pacem, dum perfidia

discordantiam unitatem non tenet. Et paulo post: Unitatem simul ac dilectionem magister o sui docet, Prophetas omnes, & Legem praeceptis duobus includit. Quam vero unitatem servat, quam dilectionem custodit, aut cogitat, qui discordiae favore vesanus Ecclesiam scindit, Fidem destruit, pacem turbat? Panegyrimne, an potius dicas haec verba conficiunt in Lutherum, qui planè heros est Suavianæ epopejæ, hoc est, fidei narrationis?

90. Sed his omisiss, pro seprimo accedamus ad id, de quo nunc agitur, Quidnam affirmat ibi S. Cyprianus? Ecclesiam unum existere Episcopatum, & singulis Episcopis esse in solidum partem in toto. Quis hoc inficiatur? Inficiantur heretici, quippe sacrae Monarchiæ oppugnatores; non verò Pontifex, qui idcirco confuevit, se nuncupare Episcopum Ecclesiae Catholicae; adeoque universam Ecclesiam tamquam unum Episcopatum agnoscit. Quid hinc Suavis contendit deducere? In hoc universali Episcopatu non inesse plures peculiare Episcopatus? Ridicula planè deductio. Quis unquam, eò quod exercitus unus sit, & unus omnium Imperator, quodque pro se quisque ex ducibus in solidum partem obtinet in communis boni, omniumque victoriae procuratione, argumentatus est, equitum magistro in pedites esse potestatem, vel in equites peditem praefecto? Eodem pacto de eo, qui tormentis praetel, vel cataphractos ducit? Vnum etiam Episcopatum esse in Ecclesia universali, alio modo significamus; ratione videlicet Ordinis, quo Episcopus redditur idoneus ad illius gradus ministeria in quascunque Orbis partes, & in quemtuncque exercenda, si legitime illis admoveatur. Ita facultas legum Civilium interpretandarum unica patitur est, & cuicumque illa instructo licet, eorum magistrum ac interpretem agere in quacumque exedra & Academia; non tamen ita, ut iure suo possit in quavis exedra, vel in quavis Academia docere. Similiter inter Casinenses Monachos unica est Abbatis dignitas, per quam is aptus evadit, ut in quocumque Monasterio praesit; & ex illius vi huic modo, modò alij praesit: hinc tamè haud fit, ne unius Monasterij Abbas distinctam obtineat jurisdictionem ab ea, quam alterius Monasterij Abbas obtinet, eique liceat, sese immittere in quiscumque Monasterij administrationem, nisi ab iplo Ordine illi peculiariter demandatam.

91. Pro octavo audiamus insuper Cyprianum dicentem, tuos Apostolos accepisse à Christo aequalem potestatem promulgandi Evangelij, postquam rediviis eorum missionem habuit. Sed hoc pariter haud negatur: quin affirmatur communiter à Catholicis scriptoribus, atque ab ipsdem censetur uti necessaria conditio Apostolorum munerè, prout illud reliquis inferioribus eminet. Verùm in hoc duo declaranda: primum est, eam universalem potestatem in solo Petro fuisse ordinariam, ejusque munerè affixam; in reliquis Apostolis nec ordinariam, nec per manus ad successores tradendam, sed delegatam, atque

ipsis peculiari nomine attributam. Etenim Apostoli, Divinae gratiae praesidio in amicitia cum Deo confirmati, & copiosis supra naturam viribus communiti, nulli discordiae periculo subdebantur: cui cum posteriores Antistites ex humana imbecillitate obnoxij futuri essent, nequaquam expediebat, ut indistincta illa jurisdictio esset in Apostolis ordinaria, adeoque successoribus haereditaria. Exemplo res pateat. Aliud est, in aliqua Republica, ex peculiaribus conditionibus, praestanti que virtute unius administri, à Principe potestatem amplissimam extra ordinem illi concedi; aliud est, in eadem Republica stabile munus constitui, in quo ea potestatis amplitudo sit ut ordinaria continuanda. Quare quod Episcopi Apostolis in ordinaria jurisdictione successerint, non ex eo conficitur, illis etiam successisse in hac indifferenti, universalique delegatione; itidem ac nec illis suffecti sunt in auctoritate scribendi libros Canonicos, alijque praerogativis. Secunda illius S. Cypriani dicti declaratio est, cunctos Apostolos nihilominus fuisse S. Petro subjectos, cui ex ordinario suo magistratu, & in successores abiturato, caeli claves concessae sunt, jurisdictionisque Ecclesiae plenitudo; quamquam cunctorum Apostolorum virtus ac sapientia ea esset, ut nullus penè fuerit Petro locus, hujusmodi jurisdictionis exercendae in viros sanctimonia ac prudentia perfectissimos. In reliquum necesse fuit, ut unius potestas ceteris praepolleret, nisi fuisse instituendum in Ecclesia Polyarchiae regimen, ejusdem Ecclesiae commodis planè adversum, utalibi ostensum est.

92. Nec quidem juvat respondere: Cum concordia inter Apostolos ex afflatu Divino perturbari non posset, in pluribus etiam monarchiam persisturam, quamquam inter se mutuo liberis ac supremis; ut quidam de duobus Apostolis Petro & Paulo recens excogitavit: nam securitas perpetuae concordiae inter omnes collegas, tamen si sufficeret ad evitanda incommoda, quae suapte naturam inferret Ecclesiae Polyarchicum regimen; non tamen satis esset Monarchico statuendo, cujusmodi novimus ex Scripturis ac Patribus constitutum à Christo fuisse, ut hic auctor fatebatur. Fingamus Venerum Senatorem, cui divinitus & datum, & significatum fuerit, in sententiam suam semper iturum Senatorem universum: fingamus insuper, datam illi à Senatu potestatem peragendi, ex auctoritate communi, quidquid ipsi libuerit, nullo prius habito collegarum consensu: non tamen idcirco is evadet Monarcha, nisi obtineat jus regendi absolutum à quocumque consensu, dissensu e collegarum; quemadmodum nec evaderet Monarcha, supremumque mundi Dominus, quod spectat ad dominium, sive jurisdictionis illud sit, sive proprietatis, is, cui à Deo fuisset promissum, quidquid ipse nomine legitime gubernantium, seu jure possidentium unquam fecerit, semper illis ratam fore. Hujusque rei ratio est, quia utrumque dominium, tam jurisdictionis, quam proprietatis, secum

secum affert auctoritatem ipsam, hominibus imperandi, & res ipsas pertractandi jure suo, alijs etiam dissentientibus.

93. Hinc ergo pro nono videamus, an huic doctrinae perspicuae, quam haecenus exposuimus, dissonent, an concinant S. Cypriani verba, quae sunt hujusmodi: *Loquitur Dominus ad Petrum: Aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferorum non vincunt eam; & tibi dabo claves regni caelorum; & quae ligaveris super terram, erunt ligatae & in caelis; & quaecunque solveris super terram, erunt soluta & in caelis.* Et iterum eidem post suam Resurrectionem dicit: *Pasce oves meas.* Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur;* tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti, & honoris, & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, & una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstratur. Et Pastores sunt omnes, sed unus grex ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascuntur. Et infra: *Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem, credit? qui Ecclesiae renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse, confidit?* Num forte per haec verba relinquatur dubitatio, an ex Cypriani sententia S. Petrus, ejusque Sedes summum in Ecclesia Dei principatum obtineat? An se junctio ab ijs, qui in ea sedent, quoad conjungi cum hujus communione? Quod si cui fortassis in mentem veniret, Cypriani sententiam esse, supremum Petri Principatum, imperijque unitatem in eam tantummodo praerogativa fuisse sita, quod Petrum Christus ante alios nominaverit, quodque ab unico ex rectoribus fuerit incepta numeratio, constituta nihilominus postea integra aequalitate, atque regendi libertate inter ipsos, eorumque successores; insipientem profectò disserendi rationem ex sapientissimo illius egregij Doctoris ore depromeret: perinde quasi satis sit, ut unitas Principatus constituatur, multorumque gubernatio tollatur, si supremi Rectores atque Collegae post alium alius deinceps, & non omnes unica locutione nominentur.

94. Pro decimo & postremo concludere jam licet, S. Cyprianum aperte contradicere Suavi ac Elliesio. Etenim si à Cypriano docemur, unum esse Episcopatum, cujus parrem suam quicumque Episcopos obtinet in solidum, dum multos Episcopos aequiparat multis radijs, qui tandem unum solis lumen efficiunt, multisque ramis, qui eundem omnes vigorem trahunt ab eodem trunco, haec planè exempla Suavis doctrinam oppugnant. Unus è solis radijs num forte ad illu-

minandum transgreditur locum ab alio illuminatum? Unus ramus alterius frondes ac folia enutrit? Quid plura? Nōne diseritis verbis mentem suam explicat Cyprianus? *Unus, inquit, est Caput, una origo, & una mater.* Haec est unitas, quam ille affirmat in Ecclesia, unitas Ordinis in singulis aequalis, & quae singuli redduntur idonei ad exercenda ubique locorum Episcopi ministeria: unitas Capitis, hoc est, Petri, ejusque Successorum, in qua Christus fundavit Ecclesiam, & cui perstant innoxiae omnes hujus Regiae columnae, non verò Dioceseon confusio.

~~~~~

### DISQUISITIO VII.

Quid auctoritatis habeat Romanus Pontifex circa Beneficia & Bona Ecclesiastica

S. I.

NEQUE hanc disquisitionem absolute, sed sub respectu ac relatione ad Gallia Regnum hic tractare, est nobis animus, ideoque praemissa Divi Thomae hanc in rem sententiam, reliquam causae hujus discussionem ex unico Auctore tractatus de libertatibus Ecclesiae Gallicanae cit. lib. 6. cap. 10. ob lectoris oculos ponere intendimus. Doctor itaque Angelicus 2. 2. q. 100. art. 1. ad 7. docet, penes Summum Pontificem directionem esse bonorum Ecclesiasticorum, non autem dominium. *Quamvis enim, inquit, res Ecclesiae sint ejus (Summi Pontificis) ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus, ut Domini, & possessoris.* Quem locum sic commentatus est Cardinalis Cajetanus; *Nota, quod, cum potestas Papae quoad res temporales Ecclesiae non sit potestas Domini, sed Dispensatoris, consequens est, ut plenitudo potestatis Papalis circa bona Ecclesiae temporalia non exeat limites potestatis Dispensativae, &c.* Et inferius; *Ex eodem quoque fundamento, scilicet quod Papa non est Dominus, sed Dispensator, sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit ad libitum dare bona Ecclesiae, cui voluerit, aut consanguineis, &c. sed teneatur fideliter dispensare, ut recta ratio suadet, juxta illud: Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Et rursus: Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam, ut det illis in tempore tritici mensuram, & non ad libitum, quantum volet.*

Quo praesupposito, praeterea Auctor à n. 6. ita disserit: longissimè, inquit, inter se distant bona sacra, & prophana, licet utrorumque solam dispensationem hominibus conceditam doceant sancti Patres. Ita in omnes usus non prohibitos expendi possunt, quantum est ex ipsorum conditione. Quod addo, quia ex hominis affectu in eo sapissimè peccatur: sacra verò nisi in operibus verè pijs, & sanctis insumere, nefas est. Hoc nomen ipsum manifestè significat; sanctum enim,